83717
M8834

Ad Petri Carpentarii Cauſidici virulentam epiſtolam,

RESPONSIO Franciſci Porti Cretenſis, pro Cauſariorum quos vocat, innocentia.

M. D. LXXIII.

THE NEWBERRY LIBRARY

Case
F
39
.326
1573 por

IN PETRVM CARPENTARIVM APOſtatam cauſidicum.

Carpentarius impiæ Tholoſæ
Labes maxima, fex fori, luéſque,
Qui nunquam meminit Dei, ſceleſta
Niquum mente Deum negat, vel ore
Dirus peierat: ille iuris atque
Legum dedecus, vnctuoſa iura
Lingens, mancipium ſagax culinæ,
Sanctræ vincere gurgitem guloſi
Solers Autolyci & manum picatam,
Vertumni & decies nouos in hora
Vultus ſumere, ponere ac in hora.
Qui nuſquam ſedet, & ſedens vbique
Nunquam non vagus errat huc & illuc.
Hic mimus, balatro carens pudore,
Quem damnoſa facit libido egenum,
Præceps alea nudat, & popina,
Cur famæ canis allatrat bonorum?
Famam perdidit, & fame laborat.

Antonius Fayus.

53-1486
M

PETRO CARPENtario Cauſidico, Franciſcus Portus meliorem mentem.

ACcepi tandem ad Calendas Februarias tuam epiſtolam, datam (vt tu ſcribis) Argentorati ad 15 Calen. Octobr. quæ mihi vt ingenuè dicam quod ſentio, ſummã initio admirationem attulit. Nam quòd illa oculos omnium ferè fatigauerit, priuſquam ad me ad quem ſcripta fuerat perueniſſet, & quidem typis tum Gallicè tum Latinè excuſa, miratus ſum: ac multò etiam magis quòd ſpeciem quidem præ ſe ferat amicitiæ atque officij, ſed re tamen ipſa nihil præter virulentam huius Eccleſiæ ac Reipubl. accuſationem cõtineat. Vbi verò qualem te hîc præbuiſſes, & qua impudentia in ſingulis accuſationis tuæ capitibus vtereris animaduerti, deſij mirari hæc à te homine iam pridem profligati pudoris proficiſci potuiſſe, &

contemni hæc poſſe iudicaui, quæ neque accuſatoris aliqua fide & auctoritate (multũ enim intereſt quid à quo dicatur) neque vllis argumẽtis nitantur, ſed inania tãtùm ſint futiliſſimi rabulæ maledicta. Mihi tamen poſtea cogitanti incidiſſe nos in ea tempora quibus tam ad fidem calumniis quibuſuis habendã procliues & proni ſunt plerique, quàm ad audiendam veritatis defenſionem tardi ac difficiles, nonnihil tibi reſpondendum putaui: minimè id quidem quaſi vel eorum quos inſectaris innocentia patrocinio meo, vel improbitas tua cuiuſquam indicio egeat, ſed potiùs vt hactenus animo morem geram, iuſtæque indignationi meæ, quantum fas & æquum eſt indulgeam. Scribis ad me tanquam ad amicum & familiarem. Quorſum hoc verò tibi nunc primùm in mentem venit? Ego Carpentari, ne de nomine quidem te noueram, priuſquam eius potiſſimùm opera, cui nũc maledicis euocatus, iuris profitendi gratia in hanc Academiã veniſſes. Quod vtinam te neque noſſem vnquam, neque hæc Reſpubl. vidiſſet quam præſens dedecoraſti, abſens non minùs perfidioſè quàm calumnioſè inſectaris. Hîc te vidi valde negligenter munere tuo fungentem: in vxorem tuam, honeſtam fœminam, miſerrimam, perpetuóque morbo laborãtem, ſæ-

uum & inhumanum, quîcum etiam non aliter viuere conſueuiſti, quàm ſi neque tu illi vir, neque illa tibi vxor eſſet: domeſticis, ſiquos habuiſti, ipsíque adeò fratri tuo, quanuis tui non prorſus diſſimili, intolerabilem: ſi quorum opera vſus eras, conuicia pro pecunia perſoluentem. Audiui te de iſtis ſæpe in fratrum collegio reprehendi & coargui, quum Vaſconicum ingeniũ præceps prætexeres, ac meliora verbo pollicereris, re nunquam præſtares. Vidi qua patientia noſtrum collegium tuos iſtos mores pertulerit, eo præſertim omnia mitigante, cui nunc malam mercedem ingratus perſoluis. Cognoui te, quum ex collegio ne vnus quidem propter peſtem à ſuo munere diſcederet, peſſimo exemplo, quocunque, deſerta ſtatione, libebat excurriſſe, ibi diſſolutiſſimè vixiſſe, cum iis quos egregius præceptor diſcipulos vocabas perpetuas cõtentiones habuiſſe, iam tum proditionis conſilia cum nonnullis (quod ſerò intellectum eſt) communicaſſe, malè denique apud omnes audiuiſſe: ob eam cauſam nõ ſemel in Senatu de te exauthorando actum eſſe, nec alterius quàm noſtri cui nũc cõuiciaris paſtoris, interceſſione te ſtetiſſe. Aderã quũ in cœtu noſtro de ancillæ querelis quæ ſe de ſtupro abs te interpellatã diceret, referretur. Ibi qua conſcientia

hoc negares, de quo tamen aliquanto poſt ſatis conſtitit, præſens ex ipſo tuo vultu & titubãte lingua animaduerti. Hîc tibi mandatũ memini, vel vt ſtatim curares vt illa in vrbẽ veniret, vel ruri in ipſius pago iure experireris, alioqui fore vt nocens & cõuictus habereris: ferri verò tantã infamiam & tuos mores amplius in cœtu non poſſe. His rationibus adductus, primùm à Senatu miſſionẽ vltro petiiſti, & facilè qđ ille vltro facturus erat impetraſti: poſtea iudicii infamiã veritus, ſubornaſti qui minis illã abſterrerẽt, ne in huius Reipub. ditionem veniret, & quũ vbi eſſet minimè ignorares, ac ſępe ab amicis cõmonefieres, vt hãc tibi inuſtam maculam elueres, nõ id modò facere neglexiſti, verùm etiam illa ſemel à Caſtellano, quem hîc vocamus, dicis cauſa euocata, litem minimè perſequutus, hoſpite, quod aiũt, inſalutato, nec aliter quàm fugitiui ſolẽt, à nobis Lauſannam diſceſſiſti. Cúrnam id veró? Deuinctus enim eras præſtito huic Reipub. iureiurando, quum te ingratum nec quicquam tale meritũ in vrbem reciperet: & hoc ipſum à te exiſtimatio tua poſtulabat. Sed conſcientiam habebas quæ te dies noctéſque excruciatum quieſcere apud nos non pateretur. Scio te cauſaturum æs alienũ, quo ne nũc quidem es planè liberatus. Neq; hoc tibi vitio verterem

terem, niſi hoc etiam intemperantiſſimæ tuæ vitæ certiſſimũ teſtimonium extaret. Habuiſti enim multo ampliora quàm noſtrûm quiſquam ſtipendia, eaque tam bona fide perſoluta, vt non modò ſint tibi ſæpiſſime ante diẽ condictũ repræſentata, verùm etiam liberalitatem noſtri magiſtratus nõ ſemel ſis expertus. Scis autem ita nos ex noſtris ſtipẽdiolis viuere tenuiter quidem, at non tamen ſordidè conſueuiſſe, vt Dei gratia, nullus adhuc noſtrûm, te vno excepto, quem minimè omnium oportuit, in illo æris alieni freto naufragium fecerit. Lauſannæ porrò quæ tua vita fuerit, à quibus & quibus de cauſis nuntios acceperis, quid cum Cadoratio quodam, quid cũ cognato illo Bellaquæo, liberiùs paulò quàm antea quum adhuc nobiſcũ eſſes, agitaris, ſi tempeſtiuè ſatis cognitũ fuiſſet, Carpentari, iam tum quas merebaris proditionum tuarum pœnas dediſſes. Inde quum Veſontionem poſt Balduini diſceſſum, licet non vocatus veniſſes, idq; iuris ibi docendi ſpecie, ſed quod res ipſa pòſt oſtendit, partim quòd Lauſannæ multa effutiuiſſes quæ tuũ ſcelus illic latere nõ ſinerent, partim quòd vrbs illa Galliæ vicinior eſſet, & veſtris nefariis conſiliis accommodatior, denique quòd tibi gurgiti & helluoni proditionis præmia nõ ſufficerent, qualem te illic præ-

buiſti, ſcelerate? à piis aliquot fratribus, & nominatim ab optimo viro & doctiſſimo quodam Iuriſconſulto, eo tantùm nomine exceptus quòd veniſſe Geneua dicereris, quum illic clàm haberi, non cauſæ, quam vocas, ſed Religionis cauſa cœtus reſciuiſſes, & de impetrando Academiæ beneficio ciues eius vrbis honeſtiſſimos iam pridem apud Cæſaream Maieſtatem laborare, ſcis primùm quantopere ambieris, vt ea Legatio tibi decerneretur. Ita enim futurũ ſperabas vt, quum de alterà proditione in Germania procuranda iam pactus eſſes, eóque nomine pecuniam non quantam volebas accepiſſes (quam etiam profectionem eo ipſo tempore ſuſcepiſti) duplici ad vnum iter accepto viatico, Veſontinos etiam ſuo ipſorum ſumptu proderes. Nec enim hoc inficiari potes, de quo tuis ipſius literis conſtat, nempe quum in ea vrbe eſſes, proditos abs te fuiſſe Põtificiis piorum cœtus à quibus tamen ſpe erigendæ Academiæ, ſplendidè fouebaris: imò etiam abs te traditas illis eius literas, qui quòd te nondum bene noſſet, & miſeræ familiæ tuæ conſultũ vellet, tibi commẽdationem aliquam ad illos & ad alios petenti, facilior in hac re profectò quàm prudentior conceſſerat. Quid tu verò tum in Germania? an ignotum nobis eſſe putas, quid tunc tecum Bellaquæus ſit

molitus?

molitus? quid Cadoratio de tua tarditate conquerenti reſpõderis? quam pecuniam, à quo, cuius rei cauſa acceperis? Sed illud ſanè deteſtabile ſcelus fuit, quòd quũ nonnullis quærentibus quorſum eò veniſſes, mentireris te à Veſontinis procurãdi ipſorum negotii cauſa miſſum, tãtum abfuerit vt hoc ageres, vt cõtrà, inaudita quadã perfidia miſeros & penitus innocentes & tam bene de te meritos homines, curares ad Cęſarem ipſum deferendos, quaſi Academiæ impetrandæ prætextu & ſub ſtudioſorum ſpecie introducto milite externo, cauſariis quos tu vocas, ciuitatem illam prodere decreuiſſent. Scilicet quòd nouos tũc hoſtes, ac præſertim Germanos & Heluetios, ſibi quærerent iſti cauſarii: aut quaſi ſimulatq; auditum fuiſſet Carpentarium quendam cauſidicum terræ filium, Veſontione iuris ſcholam aperuiſſe, probabile fuerit eô concurſuros Gallos, qui ciuitaté in medio Burgundiæ comitatu ſitam ſtudiorum prætextu occuparent: aut Germanos aduenturos, qui Imperii libertatem imminuerẽt. Et tamen, creditum eſt tibi, perdite: adeò quidem vt ab eo tempore præter quàm quòd denegatum eſt quod antea promiſſum fuerat Academiæ beneficium, non deſtiterint Religionis hoſtes, donec eiecta magna ciuium parte vrbs illa in miſerrimum ſtatum

fuerit redacta. Hæc ſi quæris vnde ſint nobis perſpecta, ſcito nobis de his omnib9,& aliis præterea multis, tũ ex certis teſtimoniis, tum ex literis partim tua ipſius manu ſcriptis, partim ab aliis ad te miſſis, pleniſſimè conſtare, quæ quum & vbi minimè voles tandem aliquando proferentur. Scito etiam id magna ex parte ex miſeri illius ſcelerum tuorum conſcii, à te & à Bellaquæo Veſontione corrupti, & hîc tandem cum tuorum characterum exemplo deprehenſi, iuſtóque ſupplicio affecti, plano manifeſtóque iudicio liquere. Et tu me tuum audes vocare, Carpentari? Lutetiã quidem ab hinc biennium profectus, quum te nondum bene noſſem, & operam mihi tuam in lite quadam mea offerres, vſurum me illa dixi, vt ad optimum quendam virum deducerer, cui ſanè plurimum debere me profiteor, & cuius tu mihi nomen hîc aliquando edideras, vt ei procuranda mea negotiola committerem. Hæc vna cauſa fuit cur te Lutetiæ cõuenirem, vbi iam tũ, niſi (vt inquit ille) mẽs mihi læua fuiſſet, præſagire ſanè quid aleres mõſtri debui, quum tu me per P. Ramum adeóque per Cauannium à quo totus tũc pendebas, & cui nũc ingratus mortuo maledicis, ab hac ſchola, neſcio qua magnorum præmiorum ſpe abducere tentares. Quid verò tum illis hone-

ſtiſſimis viris reſpõderim quorũ credulita-
te ad me fallendum abutebaris, meminiſſe
te arbitror, neque me vnquam recordari
pœnitebit. Méne igitur, inquam, Carpenta
ri, tuum appellas? méne dignum cenſuiſti
quem veluti tuarũ proditionum conſcium
appellares? Audieram te moliri ſcriptum
quoddam aduerſus Eccleſiæ ac Reip. iſtius
dignitatem, moniti etiã ſumus te anno ſu-
periore ſcriptũ illud Lutetiæ typographo
cuidam Religionem atque nos eandẽ pro-
fitenti, imprimendum obtuliſſe, quod ille
tamen, vt vir bonus, facere recuſarit. Nunc
igitur oblata venditandi tui commoda, vt
tu quidẽ exiſtimas, occaſione, interpolatis
nonnullis mutatáq; præfatiuncula, ſuffarci
natũ illud opus euulgaſti, & quidẽ ab aliis
maxima ex parte emendicatum. Nouimus
enim, nouimus quæ tua ſit in bonis literis
ac diſciplinis ignorãtia, cuius nos ſępiſſime
puduit, adeò vt eorũ ſcriptorũ quæ, vt nũc
factitare nõnulli inſpectis librorũ indicib'.
& cõpendiis conſueuerunt, ineptæ oſtenta
tionis cauſa profers, ne apertos quidẽ vn-
quã à te libros fuiſſe conſtet. Sed agè tamẽ
& tuas & eorum calumnias quos huius pa-
trãdi flagitij adiutores habuiſti, ſigillatim
expendamus. A mea lite auſpicaris, cauſi-
dice, & quidem non prorſus ineptè, quum
ex arte litigandi ſemper vixeris & quidem
miſerè, vt nihil mirum ſit te præter lites

nihil crepare. *Tua lis*,inquis,*patrono deſtituta iacet.* Et quidni iaceat, quũ ipſa Chriſti Eccleſia nõ modò illic iaceat,ſed etiam ſumma cum immanitate conculcetur? *Sceua qui tuum negotium*,inquis,*abſente me procurabat, ſubita morte occidit.* Méne verò, Carpẽtari,tuo patrocinio fretum vnquam fuiſſe? Sceuam optimum & doctiſſimum hominem, nõniſi abſentis Carpentarij vices impleuiſſe? putidum eſt ſanè hoc quoque mendacium à quo inchoare tuam hãc epiſtolam infauſto prorſus omine voluiſti. Sed eſto, fidem ego tuam nimiùm credulus ſequutus, cauſam tibi meam commendarim, quid? tu nunc amiciſſimum tuum Portum deſeris,nec fidem neceſſario tempore præſtas? *Mortuus ſum*,ais.Ergo apud inferos, Carpentari, non vnus vt, video, Cerberus latrat.Hîc verò mihi de te cogitanti,diſtichi illius à Suetonio commemorati,in mentem venit:

Tarpeio nuper quæ ſedit limine cornix
  Eſt bene non potuit dicere,dixit Erit.

Non es mortuus,impure, nec enim dignus eras qui cum tot innocentiſſimorum hominum millibus perfidioſiſſimus Religionis deſertor morereris. Morieris tamen, morieris tuo tempore, & niſi reſipueris,iuſtam à Domino mercedem tot ſcelerum feres. Sceuam tui diſſimillimum ſanè doleo

leo occidiſſe, lugere tamen non poſſum, quem opportuna mors tot inſequutis calamitatibus exemit. Sed quo tandem genere mortis interiſti, bone vir? *Exul*, inquis, *ſum factus, ex Gallia in Germaniam.* O felicem verò Galliam, ſi te, Carpentari, tuíque ſimiles omnes profligarit, vt quod de ea prædicauit Hieronymus valeat, illam videlicet monſtris carere. Sed ô miſeram viciſſim Germaniam, in qua vel ſolus ex tot proditoribus & apoſtatis Carpentarius cõſederit. Sed quorſum hæc, obſecro? An tu nos ignorare putas à quo & quorſum in iſta laniena quam plebs Lutetiæ exercuit, ſeruatus fueris? quorſum Metas veneris? cuius ſumptu diſpoſitis equis fueris emiſſus, adhibito caduceatore qui te vitæ ſuæ periculo Argentorati ſaluum ſiſteret? Neceſſe eſt enim omnia metuere qui Deum non metuat. Eò quum aduenifſes, & hæc eadẽ quæ nunc ſcribis mẽtireris, nón meminiſti cur illinc aliò, & ad quos ſis profectus? Non tu poſtquam ibi ad tempus fuiſti verſatus, & bellam iſtam epiſtolã meditatus es, Metas rediſti? an etiam illic in conſilium ſis adhibitus, & qua de re tecum illic actum ſit nõ quæro. Nec enim iſta Portus exquirere cõſueuit. Hoc quidẽ ſcio te veluti famelicum canem in Proregis coquina aſſiduũ fuiſſe. Illic quum tibi fortè mercator quidam no-

ſtràs, vir bonus, & qui te alium adhuc eſſe, credebat, occurriſſet, non tu ipſe illum ad Oliuerium, qui tum illic erat florentis Eccleſiæ miniſter, deduxiſti? non tu illum de patiẽtia noſtrorum obiurgaſti? non dixiſti fruſtrà fuiſſe multos à te commonefactos vt ceſſantes Germanos ad iſtud (vt tu dicebas) commune periculum depellẽdum excitarent? & quum ille, vt vir eſt placidus & modeſtus, tibi quod res eſt reſpondiſſet, ſibi ſatis eſſe ſi ſuum expauefactum gregem ad patientiam & preces hortaretur, non tu pigritiam illi & ſocordiam exprobraſti? Quid plura? non tu poſtea ad Proregis coquinam reuerſus (quis enim canem ab vncto corio abſterruerit?) curaſti vt illi ipſi mercatori, homini ſimplici & rès ibi ſuas agenti, tanquam ſuſpectæ fidei eſſet, mandaretur vt inde, nondum cõfectis negotiis, excederet? nõ is tibi aliquot pòſt diebus rurſum ex inopinato in alia Lotharingiæ vrbe occurrit, ad cuius cõſpectũ ita exhorruiſti, vt illũ etiã in vitæ diſcrimen adduxeris, veritus ne te ſibi viſum nũtiaret? Quid paulò pòſt, quum illius Antonii Proſti caſu cognito, aliũde profugiſſes molitus ſis, & quẽ virũ nobilẽ & integrum (vt opinor) ad colloquiũ elicere fruſtrà ſtudueris, an eſſe nobis ignotum putas? En cauſa Religionis ſuſceptum à Carpẽtario voluntariũ exilium. quod ſi

quod ſi verum eſſet,an nō tandē intelligis, homo ne ad id malè quidem agendū ſatis accommodate,deſtruere te id ipſum cuius extruendi cauſa vel conductus es,vel vltro teipſum obtuliſti? Hoc enim tibi propoſitū eſſe dicis, vt omnibus pſuadeas iſta omnia eueniſſe non cauſa Religionis, ſed ſeditioſorū quorundā culpa, quibus palàm cum aliis multis fueris aduerſatus. Quid igitur Lutetiæ metuêbas, vir pacifice, ac cur non potiùs laudē & præmiū expectabas? vulgi ſcilicet furorē verebaris. Quaſi verò quiſquam Carpentarium, niſi rabula fortaſſe aut circunforaneus quiſpiā vel fando iſtic audiuerit: quaſi quū tā multi patria ſua nō exceſſerint, ſolus cauſarum tam multarum patronus latitare ſaltem apud clientē aliquem ſuū non potuerit: quaſi denique cui ſecurè diſcurſare, & apud ipſos Pōtificios verſari licet, tutari ſeſe in aliquo tā ampli regni angulo non liceat. Viden', improbe, mentē omnē tibi Dei iudicio ademptā, vt quātumuis veterator, tamē proditoriū hoc ingeniū tegere nō poſſis? Dicā igitur quod res eſt. Speraſti, lucelli neſcio quid inde expectans, poſſe te ſi Religionis cauſa exiliū ſimulares, detegere nunquid conſilij apud exteros captarent tot miſeri homines tantæ tēpeſtatis fluctibus in hos portus nudi & ſemianimes eiecti: & ſiquid fortè mo-

lirentur(quod nunquã, opinor, cogitarunt) impediri poſſe conatus eorum credidiſti, ſi ſparſa hac epiſtola ſeiunctam eſſe iſtorum Cauſariorũ cauſam à vera Religionis cauſa indicaſſes: id eſt, vt mox patefaciam, ſi obiecto Principũ illorũ oculis fumo, feciſſes vt veritatis ne ſpecies quidem vlla, quæ ad opem miſeris ferendam eos permoueret, ab ipſis conſpiceretur. Sed hîc rurſus hominis ſtolidiſſimi improbitatem miror, cui non venerit in mentem aliud potius quoduis ſcripti genus quàm epiſtolam ad amicum priuatim ſcriptam, ad rem tãtam conficiendam adhibere: vel alium potius quemuis quàm Franciſcum Portum tranſmarinum, ac ne de nomine quidem notum hominem ad quem iſtis tantis de rebus ſcriberetur, deligere. *Vereor*, inquis, *ne vbi nos intelligent exteræ gentes, non propter Religionem vti antea, ſed propter Cauſam, id eſt ſeditionem patria pulſos, omnia hoſpitalitatis iura nobis denegent.* At ego te iſto metu libero. Nemo enim eſt cui nota perſpectáque non ſit iſtarum calamitatum cauſa, quantuncumque illam tegere contendas. Ipſum enim cœlum hoc loquitur, hoc ipſa terra vociferatur, hoc ſanguis clamat, hoc Regia maieſtas editis literis à ſe in populi furorem reijcit, hoc nulli denique præter Carpentarium audẽt apertè excuſare. Sed

aliud

aliud quiddam eſſe non ignoras quod exteris ſuſpectos reddit, non eos qui patria carere quàm Religione malunt, ſed eos (vt omnia paucis dicam) qui tui ſimiles ſunt, & maculam iſtam perfidiæ toti Gallicæ genti magna paucorum culpa inſitam, factis dictíſque ſuis etiam inurunt, vt elui facilè non poſſit. Sed ponamus verum eſſe quod tam ineptè diſſimulas, & cauere te miſeris voluiſſe, quid hoc ad me quem tecum inuoluis? Tu ſanè, ſi vis, excuſationes quærito. Ego nec tua, nec cuiuſquam defenſione apud Germanos aut Heluetios indigeo. Quòd ſi fortè egerem, méne tam amentem eſſe putas vt ad te confugerem? Imò vide quàm à te ipſo rurſum in tam paucis verbis diſſideas. Ita enim loquutus, vt ſi eſſem ex eorum numero quibus metuis, adiicis à te ſcriptam hanc epiſtolam, vt te mihi boníſque omnibus de hac cauſa quam nunquam attigeris excuſes. Satín' verò ſanus es, Cauſidice, qui te apud eos excuſes quos habere te dixeris eiuſdem periculi ſocios? Germanis igitur & Heluetiis, ineptiſſime cauſidice, non mihi priuato, &, vt arbitrari videris, de tua innocentia nihil dubitanti, adde etiam in ea vrbe degenti in quam vnam præcipuè deriuare malorum iſtorũ cauſam ſtuduiſti, ſcripta hæc oportuit. Deinde quis te accuſauit?

imò quis in Germania aut Heluetia albus an ater eſſet Carpentarius laborauit? non meminiſti quid ſeruulus ille apud Comicum? Ne te, inquit, his admiſce, nemo accuſat te. Imò qui non accuſatus excuſat, reum ſeſe confitetur. De cæteris verò quis te ſolicitum eſſe iuſſit? an quenquam illorum eſſe putas in tam iuſta cauſa, apud tam æquos iudices, qui tam imperiti hominis conſilio, tam indocti cauſidici patrocinio egere ſe exiſtimet? Præterea verò tota iſta, quam vocas, epiſtola, quam ſanè non modò te craſſa Minerua, ſed malo etiam genio ſcripſiſſe, etiamſi nō dixiſſes, omnes tamen ſatis intelligunt, quid aliud, inquam, tota hæc epiſtola præter perpetuam multorum optimorum & innòcentiſſimorum hominum tum viuorum tum mortuorum inſectationem continet? non igitur hæc fuit bonorum defenſio, ſed iniuſtiſſima criminatio appellanda, quod an verè dicam, agè ſingula cōſideremus. Offendit te cauſæ nomen. mirum id quidem quum ſis ipſe, aut ſaltē haberi velis cauſidicus. Sed quid tibi velis intelligo. Defendendos ſuſcepiſti qui cauſam nullam habuerunt, ideo ferre non potes qui cauſam habuerunt. Sint igitur illi hoc ſanè modo Cauſarij, & quidem ab ea cauſa cognominati, de qua propriè Ciceronis illud vſurpare nobis liceat: Vi

opprimi in bona cauſa melius eſt, quàm malæ cedere. At tu cauſam iſtam quomodo definis? *Fuit*, inquis, *quorundam noſtrorum hominum qui pace vti & quietè viuere noluerunt illicita coitio & factio, ad turbandam tranquillitatem publicam, contra leges & edicta Principis inita*. Grauis ſanè accuſatio, ſed quibus argumẽtis fulta? quínam iſti ſunt, Carpentari? vbi, & quo tempóre iſtiuſmodi ſunt capta conſilia? Vín' tibi nullam prorſus ne leuiſſimam quidem cõiecturam, quæ quidem hoc nomen mereatur, afferenti, aduerſus tot tantóſque viros credatur? Sed audi etiam firmiora quibus ſic tenearis vt elabi non poſsis. *Hanc*, inquis, *Cauſam nunquam attigi, nunquam ei nomen dedi, ab ea ſemper abhorrui*. Tria ciuilia bella fuerunt in Gallia, duce Condæo immortalis virtutis Principe, à magna nobilitatis Gallicæ parte geſta. Si iuſtam illorum cauſam fuiſſe negas, primùm illuſtriſsimorum totius Germaniæ Principum tibi iudicia contraria profero, quos Principes ecquis te ferre poſsit redarguentem, velut improuidos qui non probè perſpecta cauſa tum milite, tum pecunia Cõdæum, poſtea deinde Thalaſsiarchum quoties & cœptum & renouatum eſt bellum palàm adiuuerunt: vel vt ſceleratos criminantem (audite, Principes, quid effrons cauſidicus

in veſtris, vti dicit, regionibus exulans, publicè iactare audeat) qui tot latrociniorũ conſcij & participes eſſe voluerint? quorum aliquot etiam præſentes omnibus conſiliis & rebus gerendis interfuerunt, quorum vnus quoque, Dux ille videlicet Bipontinus nunquam à pietate & animi magnitudine ſatis laudatus Princeps, mortem ſubire iſtius cauſa nõ dubitauit? Iſtos, inquam, omnes vel incredibilis credulitatis & amentiæ, vel nefariæ improbitatis reos peragas oportet, vel tu ipſe potius inauditæ impudentiæ & ſceleratiſsimæ audaciæ cõuictus tenearis. Interea verò quid illis fiet quos apud exteras gentes defẽdẽdos ſuſcepiſti? num etenim boni patroni eſt ipſos iudices criminando, in ſe ſuóſque reos acuere? Sed audi grauius aliud teſtimonium. Regia ipſa Maieſtas, quoties pax facta eſt, non toties innocentiam huius, quam vocas, cauſæ diſertis, planis, perſpicuis verbis teſtatus eſt? non quæcunque in eos, quos Cauſarios vocas, feruente bello ſancita, dicta, factáue fuerunt, non ex gratia ſeu venia, ſed quòd ſibi de iſtius cauſæ bonitate conſtaret, expungi deleríque iuſſit? Quòd ſi iſta non ſufficiũt, quid tandem ſufficiet? quis erit teſtis in Gallia idoneus, ſi non ipſe Rex erit? non totidem igitur teſtimoniis iugularis, Carpentari, quot ſunt

edicta

edicta de pace ſancita?Si prima bella dices à Cauſariis potius quàm à non habentibus cauſam mota, contradicent tibi prima edicta: ſin ſecunda, damnabunt te ſecunda, itémque tertia. & adhuc mutire audes? Sed quid de iſtis laboramus? Tu ipſe prodi te ipſum damnaturus. Vbi tum eras quum primum bellum ciuile motum eſt? Argentorati. cum quibus? cum primariis Tholoſanis ciuibus. quid agebas? quicquid poteras vt cauſam promoueres. non tu diuites illos tanquam parcos & auaros arguebas quòd pugnãtes in Gallia ſuis omnibus pecuniis non iuuarent? non tu Antuerpiam vſque ea de cauſa excurriſti? Poſtea in Galliam, pace inita reuerſus, non tu Tholoſanis illis operam dediſti aduerſus illius vrbis Senatum, vt in integrum ex edicto tanquam inſontes, reſciſsis Senatuſconſultis, reſtituerentur? nõ tu per illud omne tẽpus cum Cauſariis te coniunxiſti? non ab illis commendatus in hãc vrbem Iuris docendi cauſa famelicus veniſti? non eũ qui ad accelerandũ Germanorum ſubſidiũ à Montalbanẽſibus miſſus erat, domi tuæ excepiſti? non illa negotia pro viribus adiuuiſti? vltimo denique feruente bello, nõ tu precibus pro Eccleſiarũ pace cõceptis interfuiſti? nõ tu quũ de Cõdæi morte allatus eſſet nuntius, cũ cæteris illũ luxiſti? Et quid euenit

poſtea vt animū mutares? an quia promiſſis illectus, mercede corruptus, animū repētè mutaſti, idcirco mutata eſt Cauſæ ratio? Secuta pax eſt. Tum qui animam tuam nihili, exiguo admodum pretio vendideras, pergeres an pedem reuocares incertus, primùm in Eccleſiam Pariſienſem, inde in quorundam magnatum domos, qui quo modo te hîc geſsiſſes ignorabant, teipſum inſinuaſti. Paulò pòſt quum patefactæ tuæ proditionis certa teſtimonia nactus eſſet ille quem ad hunc vſque diem colere te ſimulabas, & pro ſuo in Eccleſiam Dei ſtudio quoſcunque potuerat cōmonefeciſſet, quid non egiſti? te quidē apud eos qui iſtic erant ſolicitè excuſaſti, ipſum verò tanquam calumniatorem ad iudiciū Eccleſiæ ipſius Pariſienſis euocaſti, paratus, vt aiebas, oſtendere nihil iſtorum verum eſſe, quæ de te fuiſſe certò indicata quum nunc re ipſa probes, quorſum alios teſtes requiramus? Scis, & ſi neſcire te dixeris, probabitur, illum quum præfatus eſſet nihil ſibi tecum priuatæ cōtentionis eſſe, à quo ſummis beneficiis tuo ipſius teſtimonio affectus fueras, neque ex iure veſtro teneretur ſeſe Rei foro ſiſtere, nullū tamen iudicem iſtius quam ſibi moueres diſceptationis refugiſſe. Quæ conſecuta ſint, quæ à Preſbyterio illius Eccleſiæ audieris, meminiſſes

ſes ſiquid tibi conſcientiæ reliquum eſſet. Sed quatuor ex te quæro, cauſæ iſtius hoſte: vnum, vnde tandem iſtius cauſæ mutationem inchoes: alterum quãdo à mutatione cognita repudium illi miſeris, vt tu quoque in accuſatione tua ſcribis: tertium denique, ſi cõtra pacis edicta, cõtra Regni incolumitatem, cõtra Regis ipſius ſalutem aliquid moliri quempiam illorũ noras quibus nunc mortuis inſultas, qua cõſcientia nullos magis quàm illos affectareris, Thalaſſiarcho in primis te purgatũ de proditione modis omnibus cuperes, à Cauannij menſa nũquam diſcederes, ſiquis ad illum eorũ qui de violato edicto apud Regiũ cõſilium quærerẽtur acceſſiſſet (erat enim in aula vir ille quaſi Eccleſiarum Gallicarum procurator, quem tu nunc fato functũ (iure an iniuria tute noſti) omniũ hominum maximè ingratus inuidioſè propterea cauſæ Cancellariũ vocas,) tu primus vltro proferendis eorũ querelis te offerres. Denique, quod omnium caput eſt, hoc quæro, ſi quid illos quos innuis cõiurare intellexeras, cur tu Regiæ Maieſtatis cultor, tu patriæ ſtudioſus, tu publicæ pacis cuſtos, cur tandem hæc reticueris. Dico enim læſæ Maieſtatis ex iure veſtro teneri, nõ illũ modò qui tale conſiliũ aliquod inierit, ſed etiã qui coniuratos nõ indicarit. Caroli Regis maximas

virtutes, patiẽtiam ſummã, incredibilẽ in noſtros humanitatẽ, perpetuũ in cõſtituenda & cõſeruãda pace ſtudiũ prædicas. quaſi verò, aſſentator, de iſtis controuertatur, ac non etiam ex ipſius Regis literis ad omnes prouinciarũ rectores datis, eo ipſo die quo Thalaſſiarchus cæſus eſt, ac etiã ex iis quæ paulò poſt Heluetiæ ciuitatib. à Regio legato in eãdem ſentẽtiam ſcripta ſunt, præter Regis voluntatem ſæuitũ à plebe fuiſſe cõſtet. Quorſum tu hæc igitur nobis, Carpentari? An à noſtrûm aliquo Regia Maieſtas accuſatur? an ſi accuſaretur, ſui excuſandi partes tibi mãdauit? an nõ tu apud illum vel omniũ maximè reus es, qui tã bene tibi perſpecta nõ detuleris? Sed tamen audiamus quid hîc in Cauſarios euomas. *Habebat*, inquis, *cauſa aſſiduos cõuentus, in quibus de Deo & de pace verbum nullum, ſed de bello & armis tractabatur, quibus conatibus nefariis viriliter nos opponebamus. Eramus enim multi bene ſentientes*. Hæc verò quum ne probabiliter quidẽ dicas, cur non vt falſiſſima redarguã? Cui enim perſuaſeris tale quicquã inter eos agitatũ qui noſtrã, id eſt Euãgelicam Religionẽ profitentur: qui vnius Religionis cauſa, vti bellorũ iſtorum omniũ exitus oſtẽdit, omnibus ſeſe periculis toties obiecerãt: quorũ deniq; ſalus oĩs in Regis incolumitate & edictorũ obſeruatione

tionevetſabatur? Valeat enim hîc in primis oportet Caſſianũ illud, CVI BONO. Si qua Cauſarios ambitio titillabat, ſi qua auaritia ſolicitabat, vnde illis honores, vnde opes niſi à Rege, ab hoc, inquam Rege Carolo nono, quo præſertim tam comi, tam amico, tam beneuolo vtebãtur, ſperare poterant? num hoc ſublato (quod nefariũ ſcelus abſit vt vnquam viris bonis & ſapientibus in mentem venerit) beneuolentiorem alium erãt habituri? num ita ſtulti, amentes, inſani fuerũt vt ad ſe transferri regnũ, hoc tempore & in illa vrbe poſſe exiſtimauerint? *In abdito*, inquis, *& remotis arbitris hos conuentus habebant.* Túne igitur eò accerſebaris, an refers ab aliis audita, an potius à te iſta ſunt audaciſſimè confecta? Et quínam erãt iſti tam multi bene ſentiẽtes? cur ex tam multis ne vnus quidem eſt repertus qui tã nefarios homines toties fruſtrà cõmonefactos deferret? Cõparas exiguum illud tempus quod inter pacem vltimam, & iſtam cruentiſſimam tragœdiam interceſſit cum aureo Martiani Imperatoris ſeculo: & ita fortaſſis eueniſſet niſi hominum peccata Deum Opt. Max. tantopere prouocaſſent. Mihi verò hæc inter ſe tempora comparanti occurrit maxima, eáque non prætermittenda diſſimilitudo. Martianum refert hiſtoria, antequam no-

men militiæ daret, quũ nõ procul Philip-popoli in recẽs interfecti hominis cadauer incidiſſet, & procliui ad miſericordiã animo eſſet, vltro id ſepeliuiſſe; qua in re deprehẽſus & ex cõiectura quaſi illius interfector accuſat⁹, nõ ꝓcul capitis periculo abfuerit. Tũ igitur, Carpentari, de homicidis quærebatur, tũ Religio erat iacẽtem, inſepultũ ſinere. Num hæc noſtrorũ temporũ ſimilia eſſe dices? at vtinam in eo appareat ſaltẽ illorum temporũ imago quòd bonus ille imperator Alexandrinos & Paleſtinos monachos aduerſus edicta de pace Eccleſiaſtica ſancita, tam immania auſos cõpeſcuit. Vtinã etiã clades quę paulò poſt illud tempus Conſtãtinopolitanum imperiũ inuaſerunt, à regno Gallico Dominus auertat: ac multò etiã magis faxit vt quæ tu de tẽporibus illis cõmemoras, quæ videlicet à Galieno ad Diocletianum toti Romano imperio funeſtiſſima euenerũt, quàm longiſsimè à Gallis auertat. Ita te mentitum in antiqua hiſtoria quam ab Euſebio nimiùm cõciſe narratã repetere te aliũde oportuit, excuſare fortaſſe multa poſsunt: at qs iſtud mendaciũ ferat? *Nullo ſęculo*, inquis, *magis plena pax fuit Eccleſiis data, quàm ea quæ fuit noſtris tẽporibus clemẽtia Caroli Regis in Gallia cõceſſa.* Quẽ verò nõ pudet tã apertè mentiri, cuius tandem pudeat? An pax eſt,

bone vir,in Edictorũ perſcriptione,ac non potius in ipſa legũ poſitarũ obſeruatione poſita? Edictũ illud primũ maximo omniũ ordinũ cõſenſu ſancitum,quàm difficulter promulgatum eſt?quis tũ pacem turbauit? quis ciuile bellum accendit, ſuóque tãdem ſanguine reſtinxit? quæ tum Galliæ totius vaſtitas, quæ vbique cædes innocẽtiſſimorum hominum factæ? Secutum eſt aliud edictum, quod quàm accuratè fuerit obſeruatum immanis illa ſæuitia Prouincialium, quos vocant:facinora inaudita apud Occitanos à Tholoſanis præſertim tuis perpetrata:Cenomanorum pluſquam barbara crudelitas: Turonum efferata rabies: tot cædes Bleſis & Aureliæ media luce ab hominibus perditiſsimis, magiſtratu conniuente factæ, tot nobiles in ſuis ipſorum arcibus proditoriè interfecti, Cõdæus ipſe & Thalaſsiarchus in vltimum Galliæ angulum compulſi, eorundem ex inſidiantium manibus mirabilis euaſio,aſsiduæ ſed vanę piorum de iſtis querelæ quibus magiſtratuum aures penè obſurduerant, an non ſatis ſupérque probant? Sunt enim hæc omnibus teſtata, quæ etſi arbitramur nemini magis quàmRegi diſplicuiſſe cuius tum ætatem nimium multi contempſerunt, tamen ita vti dixi, euenerunt. Quid? annon quum edictum illud reſcinderetur,

diſertis verbis adſcriptum fuit (& falſò quidem, vt arbitramur) priora illa edicta temporum iniquitate fuiſſe extorta, nec vnquam fuiſſe feriò conſtituta? Quorum culpa, dices? meum id verò non eſt dicere. Regem certè & eius fratres ætas ipſa excuſat. Matrem probabile eſt iſtis tumultibus qui ancipitem & difficillimã regni procurationem ipſi reddebant, fuiſſe tranquilliorem rerum ſtatum antepoſituram. Tãtùm quæ geſta ſunt narro, vt tuum mendacium refellam. Quæ verò ad tertii vſque belli ciuilis exitum ſequuta ſunt, aſſentator, túne pacem vocare auſis? Biennium autem quod à tertio edicto ad hanc vſque cruentiſſimam tragœdiam interceſſit, quo tandem pudore ſeculum aureum appellabis? Strages illa pluſquam horrenda Rhotomagi edita, imaginario paucorum exilio (quantumuis iubente Rege vt ſummo iure ageretur) vindicata: ſeditiones Aureliæ à tui Bellaquęi genero excitatæ, domus piorum media luce Pariſiis tumultuoſè direptæ, toties ſuper edicti interpretatione coactũ Regis conſilium, quotidie tot miſerorum noſtrorum hominum de iniuriis ſibi contra edictum factis expoſtulationes tibi, tibi proditor, qui à Cauãnij latere, ad quem ferè omnes deferebantur, nunquam diſcedebas, auditæ, perſpectæ, ac nonnunquam

quam etiam tibi vt oues lupo commendatæ, Regis ipſius toties fruſtrà repetita vox, vt edictum ſuum ſanctiſſimè cuſtodiretur, an non ſatis ſupérque tuam iſtam ementitam pacem redarguunt? Quid amplius? audiamus tuum ipſius contra te teſtimoniũ. *Papiſtæ*, inquis, *vulgò Regẽ vt nobis nimiùm beneuolum accuſabant: concionatores illorum clamitabant noſtros eſſe cor Regis furatos. Nos pacifici & mites, Theodoſii iunioris & Alexii vitio laborare Regem confitebamur, nimia videlicet clementia, propter quam Reges olim Deus de regno deturbaſſet: publicè & priuatim à Papiſtis proſcindebamur, qui nos hæreticos, ſeditioſos, perduelles eſſe dictitabant. Principes verò in cõſilio priuato ſæpius illi inculcabant illam Diocletiani ſententiam, Regnum ad priſtinum ſtatum reduci non poſſe niſi diſſimilitudine Religionũ ſublata, omnes ad Papiſticam religionem cogerentur: Monachi, Sorboniſtæ, & alii eius generis tumultuoſi homines, ſæpius eum acerata* (vt tu loqueris) *oratione in nos inflammare voluerunt.* Satin' igitur ſanus es? vbi tanta pax? vbi aurea ſecula, quibus nulla neque ab apertis Religionis hoſtibus, quos tu ipſe Papiſtas, Sorboniſtas, tumultuoſos homines appellas (nempe vt hoc obtentu, quaſi pro illis non facias, proditiones tuæ lateant) neque à vobis domeſticis inimicis quibus iſta Re-

gis fides & clemẽtia in primis diſplicebat, quies vlla miſeris Eccleſiis data eſt? Cedo verò qui hæc non clàm muſſitabant, qui nullis Principis minis impediri potuerunt quominus innocentes modis omnibus opprimerent, qui (quod tu aſſentator retices) & concionibus ſeditioſiſſimis, & editis libris furioſiſſimis, populum ad arma palàm concitarunt, domos diripuerunt, viros, fœminas, ſenes, iuuenes, pueros, puellas crudeliſſimè obtruncarunt (nihil dico quod non Pariſiis, & Rhotomagi illo biennio patratum eſſe conſtet) non ſunt illi læſæ Maieſtatis & violatæ pacis rei? nõ iſtorum ſcelerum auctores? Sed illi ſanè fecerunt quod fert ſacrilega ipſorum religio. At tu, & ſi qui fuerunt tui ſimiles, quid iſti veſtræ crudelitati prætexetis? O pacificos & mites homines, quibus non malorum audacia, non furor & rabies eorum quos tu Papiſtas vocas, in crimen vocabatur, ſed vna Regis clementia diſplicebat; & ampliùs quæretur quorum delationibus tantopere in pios inflammatus fuerit Regis animus? quínam iſti incendio faces ſubiecerint? quibus denique authoribus tu Gallia, Gallia florentiſſimũ olim orbis terrarũ regnũ, omnium regionũ miſerrima euaſeris? Hæc illa igitur nõ aurea profectò, ſed funeſtiſſima ſecula fuerunt, de quibus penè vaticinatus fuiſſe mihi videtur his verſibus Critias,

Ἦν χρόνος ὅτ᾽ ἦν ἄτακτος ἀνθρώπων βίος
Καὶ θηριώδης, ἰσχύος θ᾽ ὑπηρέτης,
Ὅτ᾽ οὐδὲν ἀέθλον οὔτε τοῖς ἐσθλοῖσιν ἦν
Οὔτ᾽ αὖ κόλασμα τοῖς κακοῖς ἐγίνετο.

Cinnam mihi Pōpeij nepotem cōmemoras, quē Auguſtus ſibi inſidiantē non modò non punierit, ſed etiā muneribus affectum ſibi obnoxium reddiderit. Quorſum hoc veró? Quem tu Cinnā innuas, non obſcurū eſt: ſed an mentiaris, tempus ſaltem oſtendet. Demus tamen ita fuiſſe, Auguſtū fortaſsis alterum habere potuit Gallia, ſi quis hanc ſaltē Senecæ vocem Regi occinuiſſet, parcendū improbādis etiā ciuibus non aliter quàm mēbris lāguentibus: & ſi quando miſſo ſanguine opus eſt, ſuſtinendū eſſe ne vltra q̃ neceſſe ſit, incidatur. Hæc igitur ille quàm tui diſſimilis qui te mitē & pacificū vocas? Sed & iſtud cuiuſmodi eſt? *Princeps*, inquis, *intelligebat populum imbutū mala opinione de Religione ſui Principis, inuitū ei parere, & ab eo plerunque abalienari.* Bene eſt ſanè, Carpentari, quòd tandem ſine ſimulatione loqueris. Hoc nimirum illud eſt Diocletiani axioma, quod Regum auribus occinere vos cōſueuiſtis, quibus Religio nihil aliud q̃ politicū quiddā cēſetur. Sic Principem ſuum inſtituit ille Florētinus Machiauellus, impiiſſimus homo, quare tamen quid abſurdius dici poteſt, niſi

quum de vera Religione agitur?Nam quid alioquin iniquius eſt quàm aberrantem ducem ſequi? Tua verò rurſum quæ ſtultitia eſt,quum Papiſtas ipſemet dixeris contra Regis edicta debacchari non deſtitiſſe, nunc illos vt Regi obſequentes laudare,diuerſam ſequentes Religionem,in quorum numero tutemet haberi vis,inuitos paruiſſe & à Rege abalienatos fingere? Mentionem quoque, ſed profectò inauſpicatam, facis Commodi, cuius tẽpora cum noſtris comparas,quòd nobis licuerit Synodos frequentiſſimas habere. At cur non potiùs Conſtantinum illum idolorum euerſorem delegiſti? Obtinuerunt igitur Gallicæ Eccleſiæ ex Regis benignitate, cùm alia non pauca,tum verò etiam vt Synodos,ſed aſcitis Regiis magiſtratibus, cogere ipſis liceret.Quis hoc negat?quis ea de re Deum ipſum non collaudauit? quis Regi gratias nõ egit? Hinc,vt facere vos cauſidici quæuis iura confuſè, vt coquus ille Plautius, permiſcendo conſueuiſtis, ad rem prorſus aliam delaberis. *Rex*,inquis,*in noſtra Religione perſeuerantibus, potiùs quàm illis qui variaſſent fidere conſueuerat*. Rectè id quidem. & vtinam ſemper in hoc propoſito perſeueret. Quînam enim arbitrabimur Regi fidum futurum, qui datam Deo fidẽ fefellerit?Verùm ſi hoc valeat,quid te mi-

ſero fiet, licet amplā dignitatem aliquā ex iſta piorū inſectatione ſperante ? Sed facio tibi ſanè iniuriam, qui te in iſtorū numero recenſeam. Nec enim mutare Religionem potuit qui nullā habuit. Iſta verò Maximini & Mauricii nomina quæ commemoras, quàm inauſpicata ſunt ? & illud Zenonis quàm planè ominoſum eſt? Hiſtoriam enim illius & Verinæ ſocrus ipſius, turpiſſimúmq; vtriuſque exitū non ignoras, adeò vt infauſta illa nomina ex omni vetuſtate planè de induſtria delegiſſe videaris, quorū exempla vtinā Deus Opt. Max. à Gallis auertat. Audiamus aliam criminationem. *Nefas eſt*, inquis, *ſubditos quicquam negotii cum exteris tractare inconſulto inſcióque ſuo Principe.* peccarūt ergo ſcilicet qui per Angliæ reginam & illuſtriſsimos Germaniæ principes, ſuæ conſcientię libertatem Regi ſuo commendari petierunt. Et quæ tādem leges, quæ cōſuetudines id fieri prohibuerunt ? Hoccine appellare potes quicquam negotii cum extraneis agere? neque Regis ſociis aut amicis vti vnquam licebit? Quæ hæc barbaries fuerit? quę tyrannis? Adfers bina exempla, vtrumque ſanè rurſus inauſpicatum. *Ob talem ſuſpicionē*, inquis, *neſcio quis Arabiæ Rex Theodorū Antiochiæ epiſcopum iuſſit exulare. Sapores Perſarum Rex Simeonē epiſcopū, Romano Imperatori minùs*

gratũ expulit. Et quorſum hæc,ineptiſſime homo? num vt ſuſpicioſum id eſt omnium Principum miſerrimum eſſe illum doceas cui aſsẽtaris?Quid enim eo Rege miſerius eſſe poteſt qui ſibi à ſuis metuat? Itaq; ob eam potiſſimùm cauſam Auguſtum ipſum quanuis clemẽtiſſimum & ſapientiſſimum Principem, de reddenda Repub.nõ ſemel cogitaſſe ferunt(tam miſerum eſt eos quibus imperes reformidare)nec eum ex amicis quidã alio magis quàm eiuſdem ſuſpicionis argumento quominus id faceret deterruit, ne tot hoſtes videlicet dimiſſo imperio experiretur,quot olim hominibus eſſet dominatus. O miſeros iſtiuſmodi cõſiliariis ſtipatos principes,qui tãdem neque quibus fidãt, neque quos metuant norunt. Sin ex iſtiuſmodi exemplis volebas imitatione dignũ quippiã ſpectandũ Regi proponere,non alia tibi auſpicatiora ſuppetebant?quanquã iſtud fortaſſe de Theodoro Antiocheno nõ prorſus ineptè, ſi modò in eo ꝙ Arabs iſte iniuſtè fecit,Rex vti ſuo iure volet. Sed ꝙ de Simeone in exiliũ pulſo cõmemoras,falſum eſſe dico. Quòd ſiquis ex tuis Papiſtis,vel Sorboniſtis quos tumultuoſos vocas,alio cõſilio te delegiſſe dicat crudeliſſimi in Valerianũ Cæſarẽ tyranni Saporis exẽplũ,tibi cogitãdum eſt ſtultitiã malis deprecari,an illud ipſũ crimen cuius

alios

alios arguis confiteri. Sed illud tamē ſtultitiæ vitiū in te potiùs cadere vel ex eo quod ſubiicis exemplo liquet. Comprobaras nō obſcurè illorū quibus nunc ſeruis, vel Diocletiani potiùs, digni ſanè cui ſubſcribas au ctoris, ſentētiam, Non poſſe ſtare regnum in quo feratur religionum diſſimilitudo: & libens tibi concedo nihil magis eſſe Principi curandum, quàm vt ſicut vnus verus Deus eſt, ita etiam veram vnicā Religionem quàm puriſſimè & ſeueriſſimè obſeruandam curet. At tu nunc tui oblitus, Rotharim Longobardorum Regem profers, ex cuius edicto citra publicę pacis violationem, quandiu Rex voluerit, in ſingulis Italiæ vrbibus bini fuerint epiſcopi, vnus orthodoxus, alter Arrianus. Ergo, Carpentari, vt Arrianis etiam cōparemur, poſſet pax in Gallia duabus ſtantibus religionibus ſeruari, niſi fortè obſequentiores Inſubres Longobardis, quàm ſuis Regibus Gallos probaueris. *Neque*, inquis, *per Regem ſtetit*. An ego verò miſellus ad iſta quibus oleum ſuffundis incendia, aliud quàm lachrymarum copiam adferens de accuſando Rege cogitaui? Quo igitur conſilio iſta apud me commemoras? Cogit me tamen impudentia tua, nonnihil etiam iſtorum quibus criminatio tua

nititur expendere. Profers nobis Iudæorum contumaciam, & ſeditioſa conſilia quæ Claudium, Traianum, Adrianum, illum quidem ſtultum, iſtum nimis credulum, vt ex Plinii de Chriſtianis epiſtola ſatis liquet, tertium crudelem, ad perſequendos etiam Chriſtianos concitarint. Atqui nihil hoc ad Cauſarios, niſi eos quidem Iudæorum non diſsimiles probaueris: Regem autem, quem quum maximè laudare vis, ſummè vituperas, illorum ſimilem eſſe ſtatuas, quos abſit vt in illis quidem iniquiſsimè factis imitetur. Quis enim ſapiens & moderatus Princeps, nocentum culpam velit innocences luere? Sed agè, quid iſti tandem Cauſarii patrarunt? *Eorum*, inquis, *petulantia, proteruia, conſpiratio nos libertate, patria, fortunis priuauit.* Audi, homo ſtultiſsime. Vel tu planè mentiris, vel Regem Tyrannum facis, quantus nullus vnquam ne ex illis quidem fuit quos à te inauſpicatò nominatos dixi: vel Galliæ populos, quorum humanitas & comitas prædicatur, omnium orbis gentium ſeditioſiſsimos eſſe ſtatuis, qui tantam in vos mites & pacificos homines crudelitatem exercuerint: vel Galliæ Magiſtratus vt incredibiliter negligentes, aut vt eorundem ſcelerum ſocios criminaris, qui tot poſtea menſibus ne

leuiſsi-

leuiſsimam quidem in tam improbos & ſceleratos quæſtionem vllam decreuerint. En quibus te criminibus inuoluas, dum ex temeraria accuſatione, neſcio quid præmioli captas. Sed dic tandem, homo afflictiſsime, quid iſti Cauſarii peccarunt? *Nos* inquis, *ſocietatem inire cum eis nolebamus, et Muſis non Marti ſacrificãdum putabamus, & Papiſtas cenſebamus honeſtis officiis conciliandos. At illi, furori dandas habenas prædicabant, Sebæ buccinam perpetuò in ore habebant, nullam inter nos & Papiſtas pacem piè coire poſſe prædicabant, habebant diſpoſitos miniſtros in ludo nequitiæ eductos, qui ingenia quieta ſuis concionibus à ſana mente deturbabant.* Imò verò, ἀπειρόκαλε, ſi Muſis vnquam ſacrificaſti, nunquam tamen litaſti. Magna tamen hæc ſunt, fateor, grauia, horrenda ſcelera: ſed qua ratione, quo teſtimonio, quibus ſaltem coniecturis probata? Auditúmne à quoquam vnquam fuit vllum inter noſtrarum partium homines vel leuiſsimum de iſtiuſmodi rebus verbum factum? Vbi, quãdo, à quibus miniſtris vel vnum verbũ de capiendis armis factum probaueris? & cur id facerent etiam qui maximè ſeditioſi fuiſſent, quum plus illis vnius Regis beneuolentia prodeſſet, quàm quicquid armis conſequi potuiſſent? Num ita quenquam inſanire

potuiſſe demonſtraueris, vt de honeſtiſſimæ pacis beneficio tanto ſumptu comparatæ, tantis laboribus partæ, tanto ſanguine emptæ, belli diſcriminibus ſine cauſa exponendo potiùs quàm retinendo cogitarent? quis eorum quos tute Papiſtas vocas de his rebus vnquam apud Regem, apud prouinciæ rectores, apud Parlamenta, apud inferiores magiſtratus vllam iſtiuſmodi querelam detulit? & cui tale quicquam perſuaſiſſent Miniſtri? an nobilitati? atqui ne optare quidem quicquam multò maius poterat, eo quod ſibi per edictum concedebatur. num ciuitatum plebi, ſumptibus, ærumnis, cladibus infinitis exhauſtæ, &, vt maximè vellet, quæ nihil tamen poſſet efficere, nobilitatis præſidio deſtituta? Miniſtros denique Eccleſiarum cui Religionis noſtræ perito perſuaſeris bellum in media pace promulgare voluiſſe, quin à ſuo collegio, à plebe, à prouinciarum Synodis coarguerentur, aut etiam ex diſciplina in Galliis conſtituta exauthorarentur: aut potuiſſe, quin ſuæ ipſorum doctrinæ, & ſolennium precum formulæ palàm contradicerent? Itaque falſa hæc ſaltem eſſe, atque adeò ineptiſsimè ſimul & malitioſiſſimè conficta, quæ de miniſtris commemoras, quis non videt? Adfers tamē aliquos

iſtorum

iſtorum teſtes. P. Ramum imprimis, quem virum pium, & tui exemplo à Cauſa alieniſſimum appellas. Illud tibi facilè cōceſſero, iſtud prorſus nego; quoniam pius ſimul & tui ſimilis eſſe non potuit. Cur autem illum potiſſimùm teſtem appellas? an non quòd ab eo iā mortuo refelli non poſſis? Si vos mites & pacifici tam multi eratis, nemóne ſupereſt qui hæc tecū audierit? cur edere ſeditioſi illius miniſtri nomē nūc metuūt, qui iam tū non obſcurè (vt inquis) in illum obmurmurarūt? Sed ad teſtimonium redeamus. P. Ramum de quadam ſeditioſa cōcione tecum vnà expoſtulantem ſolatum eſſe te dicis hiſtoriola de Valentiniano Iuliani præfecto, qui edituo aqua luſtrali ipſum aſpergenti, pugnum inflixerit. Quorſum hoc, Carpētari? Si factū hoc approbas, (cur enim alioqui pro exēplo afferebas?) vbi mitis iſte & pacificus tuus animus? annon tu potiùs turbulētus & ſeditioſus? Itaque hanc ipſam quam facis artem, mentiendi videlicet, vide ſaltem poſthac vt paulò cautiùs exerceas, ac memineris mendacem memorem eſſe oportere. Sed nū alios quoſpiam præterea teſtes habes? *Sanè*, inquis, *viros bonos, doctos & pios ex miniſtris.* Cedo quoſnam? *Spinam*, inquis. At vide quam tibi conditionem feram. Ille te, ſat ſcio, ille te, inquā, mentiri coràm &

in os dicet quum voles. *Item Roſerium.* Primùm ſi velim optimo iure illũ reiiciam qui tam turpiter, támque manifeſtè nõ modò veritatem eiurauit, verùm etiã illam publicè ac priuatim oppugnauit. Sed alia exceptione vtar. Eſt enim ille iam in Eccleſia Heydelbergenſi inſigni Dei miſericordia impiis ereptus, peccatum agnoſcit, te tuíque ſimiles deteſtatur, nedum vt tibi aſſentiatur. Olbracum addis & Capellum, vtrumque, Dei beneficio, mirabiliter furentum carnificum gladiis ereptum, téque non alio quàm proditoris, apoſtatæ, impuriſſimíque calumniatoris nomine appellare conſuetum. De Hayo idem mihi audeo polliceri, quem etiam Nemauſi eſſe confirmãt, nedum vt Cauſarios tecũ accuſet. De Mercurio planè miratus ſum id te auſum dicere, qui ſiquid hîc peccaſſet, in alteram potius partem peccaſſet, vt qui in bello fuerit aſſiduus, & nõnulla quoque rei militaris peritia cõmendatus, & te nunc execratur. Et adeò gnauiter es impudẽs, adeò deſperatè ſceleratus, vt Regis etiam totiúſque Valeſiæ gentis odium, tot omnium ordinum hominibus pro Religione, pro Regis ſalute, pro Regni incolumitate deuotiſſimis, auſis exprobrare? Vndecim annos & ampliùs ciuiles cõtentiones in Gallia, propter Religionem durarunt. Nego

vllam

vllam vnquam toto illo temporis ſpatio à quoquam paſtore habitam concionem, in qua Rex Carolus nonus cum tota Regia familia precibus non fuerit Deo commendatus. Nego vllum patremfamiliâs domi priuatas cum ſuis preces mane & veſperi de noſtro more, pronũtiaſſe, in quibus nominatim Regiæ Maieſtatis mẽtionem nõ fecerit. In ipſius Thalaſſiarchi domo, cui tu non ita pridem aſſentabaris, quotidie & eo ipſo die quo fuit vulneratus, imò dico etiã amplius ex certo teſtimonio, quo penè momento fuit interfectus, dico, inquam, Carpentari, dum effringerentur domus fores, quum ille ad præſentem mortem ſeſe ex vulnere vtroque brachio captus, & tamen quibus poterat viribus è lectulo ſurgens, & vnica veſte coopertus compararet, eo, inquam, ipſo momento præeũte illi verbi miniſtro, qui nunc etiam ſaluus eſt, dico, dico illum pro Rege & pro Regno non minùs quàm pro ſeipſo Deum ad quem migrabat, fuiſſe precatum. Et tu viuis, rabula, ad hoc conductus vt viuis & mortuis maledicas? Denique vt teipſum impudentia & maledicentia ſuperes, cenſum dicis per omnem Galliam habitum eorum qui Religionem profitentur capitum, ac fortunarum, *quod*, inquis, *Regum eſt edicere nõ aliorum, adeò vt David quòd temerè populum*

cenſeri iuſſiſſet, graui pœna ſit affectus. Primùm, etiam ſi ita factum eſſet à Cauſariis, vt tu dicis, imperitiam tuam prodis in hoc exemplo, quod, dicis cauſa, opinor, protuliſti. Deinde tam falſum, ineptum, ridiculum eſt quod de cenſis capitibus comminiſceris, vt vix etiam inficiationem mereatur. De pecunia collecta vel potiùs colligenda verum dicis, fuiſſe familiis Religionem profitẽtibus collationem pecuniæ indictam. Sed quid hîc abs te petitũ fuerit, famelice rabula, qui vt familiam habeas, ſis tamẽ prorſus ἀνέστιος, modò huius modò illius aſſecla, nullo deniq; loco neque numero, ac planè extra omnẽ capitis deminutionem poſitus, vt qui ne capite quidẽ cenſearis? Illam verò collectionem, quis neſcit volente iubẽte Regia maieſtate, ex edicto pacis, certis hominibus, certis ſæpiſſime ſcriptis diplomatibus, certis legibus & cõditionibus, non vi, non clàm, ſed palàm decretam, mãdatam, & colligi cœptã, ex qua Germanis equitibus ſtipendium perſolueretur? De his omnibus quum tam conſtare Gallis ſcias quàm Regem regnare liquet; nec etiam ignores Cauannium vix vlla de re alia magis ſolicitũ fuiſſe, quæ hæc conſcientia, quis pudor eſt, exteris perſuaſum velle, Cauſarios neſcio quos, ex præſcripto, imò etiam ex edictis eius, quem, per-

uerſiſſime

uerſiſſime nebulo, inuerſis literis Sebam appellas, Tyrãnidem media luce in omnes Religionem profitẽtes exercuiſſe? Et quis iſte tam potens eſt Imperator, ex cuius nutu Nauarræ Regina, Nauarrenus eius filius & hæres, Condæus Princeps, Thalaſſiarchus, magna Gallicæ nobilitatis pars, tot ciuitates & populi pependerint? is eſt noſter Paſtor, Geneuæ, id eſt (vt tuis verbis vtar) *in fœdiſſimo lacu, ſeditionum fodina, ſcelerum omnium officina, Pontificatum ſimul & regnum, Machabæorum inſtar* (cur non potius Papam, tot Cardinales, tot Epiſcopos nominaſti?) *exercens*. Egregium profectò & tam ſtolido cerebro dignum commentum. Quid enim aliud tibi ad iſtud reſpondero? In hac porrò quæ cœpta demum fuerat collatione ſiquid peccatum fuiſſe noſti, cur apertè non protuliſti? *Habuit Cauſa*, inquis, *ſuum Principem*. habuit ſanè feruente bello cuius ſigna ſequeretur, poſtea nũquam: & tamen, fateor, miſeri & calamitoſi in eos reſpicere meritò conſueuerant quorum cõſilio & auctoritate apud Regem quod æquum & iuſtum foret obtinerent. *Habuit ſuum Cancellarium*. Mendacium putidiſſimum, niſi Cancellarium voces magnũ illum virum cui viuo tam bellè impoſuiſti, & nunc mortuo maledicis. Cauanniũ dico, cuius pietati & eruditioni

tantum tribuerant Eccleſiæ, vt ad eum ferè de omnibus quæ ad Edicti præſtationem pertinerent, & de quibus apud Regis conſilium agendũ eſſet, referretur. Quæ poſtea de conſiliariis, ſecretariis, præfectis ærarij, legatis, Tribunis, ſtationariis, coloniis ſubiicis, cur pluribus refutauerim? Sunt enim magis ridicula quàm vt inficiationem requirant. Narras etiam perlepidus fabulator de Vaſcone quodam pauperrimo, cui mutuam pecuniam dederis. Deus bone, quid audio? pecuniam à Carpentario cuiquam mutuo datam, qui plerunque nonniſi ex mutuo vel furto viuat? mirũ ergo ni alienũ mutuo dediſti, quod an iure liceat, tibi diſceptãdũ relinquo. Sed quid iſte tãdem conterraneus tuus? *Propter veterem ſtupri conſuetudinem*, inquis, *cum Cauſarii cuiuſdam vxore, ſeſe in Cauſam intromiſit.* Turpia hæc ſiue iam tũ noras, ſiue demum cognouiſti, Carpentari, cur ad preſbyterium non detuliſti? cur adulterum fouiſti? Sed quid amplius? *Mox holoſericatus euaſit, Cauſæ ſcilicet ſumptibus, vt ipſe tibi reſpondit.* Magnum certè prodigium narras, Carpentari, hominem Vaſconem (noſti quid velim) popularem tuum, in illa vrbe, per illud tẽpus, inuenire ſubitò rationem potuiſſe qua ſqualidos illos ſuos pannos in holoſericũ mutaret. At enim ille Cauſam

hoc

hoc feciſſe dixit. Mentiris fortaſſe: ſed vt quod verè ex illo audiſti referas, an ille propterea mētitus non fuerit? Aluiſſe quidem iſtum quem Cauſæ principem vocas, adulteros, aut ad homicidium conductos ſicarios, minimè vereor ne cui perſuadeas, qui herois illius pietatem, virtutem, mores denique ante hunc diem inculpabiles cognouerit. Illa verò quæ ſequitur criminatio, vnde tandem prodiit? *Regem*, inquis, *volebant bellum apertum Hiſpano indicere.* Ergo, Carpentari, occultè gerebatur? Tantúmne verò tibi otij eſſe priuatis ſcilicet agendis cauſis (vt tu ſcribis) occupatiſſimo, vt etiam arcana Regni conſilia tibi ſcrutari liceat? At nos iſta mittamus quæ parum ad nos attinét. Quæ tu verò de neſcio quibus aſcendentibus & tranſuerſalibus (vt tu loqueris) & quidem Regi proximis interficiendis comminiſceris, cur non apertè proloqueris, vt de tua calumnia eò magis conſtet? Saltem enim inter vos mendaciſſimos Sycophantas aliquo modo conueniret. Ea profectò quæ pro cædibus iſtis excuſandis à nonnullis quaſi ex auctoritate publica ſcripta dictáque ſunt, inter ſe non congruunt. Sed vt ineſſe in iſtis aliquid veri cōcedamus, non tu læſæ Maieſtatis reus es, qui tam certa tótque nobilium, (vt tu ſcribis) teſtimonio probabilia, non ſtatim

ad quos oportuit detuleris?Sed is eras ſcilicet à quo quiſquam de his rebus conſilium peteret, aut cuius in illo cœtu quem conueniſſe fingis, vlla ratio haberetur. Obſiſtebas illis nimirum, quorum etiam micas famelicus canis captabas. Et tamen ais etiam illos fuiſſe vitæ tuæ inſidiatos, téque penè miraculo ſeruatum, quòd cum domeſticis & clientibus tuis paulò ſeriùs fortè prãſus eſſes. Quos verò tu mihi domeſticos narras, illi planè ſimilis cui iocans ille poeta, neque ſeruum, neque arcam, neque cimicem, neque araneũ, neque ignem fuiſſe dicit? Iſtud tamẽ quod narras, non eſt penitus commentitium. Sed audi quid ille ipſe quem accuſas reſpondeat. Eſt enim nobiſcũ vir honeſtus ac nobilis, bonæque apud omnes exiſtimationis. Teſtes idoneos habere ſe dicit, quum tibi quem idcirco bonũ putabat quòd bonorum quos tu prodebas ſectator eſſes, cauſam quandam agendam ſuam commiſiſſet, eam te, pecunia accepta aduerſario prodidiſſe. Hac igitur indignitate, & magno rei familiaris detrimento, ſe vehementiùs commotum, fatetur cum fuſte domum tuam veniſſe, vt tibi ſcapulas & caput demulceret. Paucis etiã poſt diebus (meminiſſe potes) ait idẽ ſe tibi quem in publico repererat, pugnum eadem de cauſa inflixiſſe, & naſum penè tuum interpolaſſe.

polaſſe. Chriſtianè igitur id à ſe factum non eſſe, minimè inficiatur ille, ſed tua ſanè præuaricatio non Cauſa tuis maxillis pugnum intulit, naréſque penè truncauit. eadem aliquando laqueum tibi, mihi crede, afferet, ne ſocio tuo Proſto inuideas. Cæterùm quæ poſtea, ineptiſſime homo, de bello non niſi iuſtis & neceſſariis de cauſis ſuſcipiendo commemoras, quorſum apud me, qui de bellis vel ſuſcipiendis vel dimittendis conſilium nunquam cœpi, aut dedi: & qui fortaſſe meliùs quàm tu, iſta ſaltem peruulgata & pueris ipſis decantata noui? Sed hæc nimirum aliunde accerſita, & ex puerili fortaſſis habita quadam declamatione in quopiam Pariſienſi gymnaſio deſumpta, perire tibi noluiſti. Cui enim illud ſaltem Comici dictum ignotum eſt, Omnia potiùs quàm armis experiri ſapientem decet? Vobis præſertim cauſidicis Gallis, vt mihi paucis quibus iſtic fui diebus animaduertiſſe videor, illud in more nunc poſitum eſt, quod eruditis auribus valde ingratum eſt, vt librorũ indicibus & quibuſdam cõpendiis inſpectis narratiunculas quaſdam aut ſpecioſa quædam ex veteribus hiſtoriis repetita nomina, ſiue res hoc ipſa requirat, ſiue minùs, infarciatis: partim vt apud im-

peritos aliquam captetis eruditionis famam, partim vt quum vobis rationes deſunt, iſtis narratiunculis & iudices & auditores oblectatos à veri cognitione abducatis. Hoc facere vos, non miror, cauſidicos & rabulas in illo regno, vbi nunc magna pars non aliunde quàm ex alterius ſtultitia viuit, graues autem homines, aut ſaltē grauitatis aliqua ſpecie præditos, quum viderem iſtis puerilibus ſermonibus delectari, venit illud Athenienſium mihi in mētem, ἄνευ προοιμίων, poſtea & illud Flacci,

Nimium patienter vtrunque
Ne dicā ſtultè mirati.

Denique cœpi vereri, nōmodò ne, quod auertat Deus, illud Iugurthinū, de Gallis meritò quiſpiā vaticinetur, Periturum breui regnū iſtud, ſi emptorem inuenerit: verùm etiam ne de illo penè vaticinatus Ennius ille pater videatur,

Cedò, Rempub. quî amiſimus tam citò?
Prouehebantur ad res noui, ſtulti, adoleſcentuli.

Sed hæc ſanè παρέργως, & omen abſit. Quis enim ex tanti Regni turbis, nedū excidio, quod vtinam, vtinam inquam, ne tui ſimiles accerſant, aliud quàm horrendam totius penè terrarum orbis mutationem expectet? Sed mihi, vt opinor, cui priuatim neque hîc metitur neque ſeritur, meliore

iure

iure licuerit communem quam boni metuunt calamitatem deplorare, quàm tibi tam impudenter ex tantorum hominum mortuorũ indigniſſima inſectatione, (quũ iſta res alioqui nihil ad te pertineat, & lugere te potiùs calamitatem publicã oportuerit) lucellum captare. Gloriolam enim quærere te cur cenſeam, qui vel obolo vendere teipſum conſueueris, neque exiſtimationem vllam habeas quam proſtituas, vel quam proſtitutam emere viliſſimus quiſpiam dignetur? Illud quidemperlepidum eſt, quòd te Aquiloni cõparas. Quid enim eſt quàm tu, miſer cauſidice, frigidius? Imò nec ipſe vẽtus quàm tu ſis inanior eſt. Tantùm illud in iſta ſimilitudine intereſt, ꝙ dicebatur olim eſſe ab Aquilone omne malum, (necdum enim Roma aliquid erat) à te verò non magnum ſanè malum oriri poteſt, quoniam nocendi cupidiſſimo vires deſunt, & quum tuos illos folles quàm vehementiſſimè inflaſti, inanes tantùm crepitus audiuntur. Certè fuliginoſum eſt iſtud tuum fulgetrum, quo inclytum illum herCëm, quo nemo noſtro ſeculo neque glorioſiùs vixit, neque fortiùs obiit, Condæum, inquam, illum Principem euertere te poſſe demens exiſtimaſti, ſi priuatum illum diceres ſuos armaſſe, & neſcio quid de Abrahami cum Paleſtinis principibus fœ-

dere balbutires. Te quidem ille inter ſuos nunquam numerauit, quanuis tu Argentorati eſſes, & eius ſeruorum ſeruis cupidè ſeruires. Sed quos ille ſuos habuit, os impudens? ſi de belli cauſa quæritur, vt edictum pacis omittam, quod dicere nũc quoſdam non pudet iniquitate temporum extortum fuiſſe, an non prolatæ in orbis terrarũ celeberrimo conuentu, in quo imperator ipſe Ferdinandus ſedebat, ac etiã poſtea typis excuſæ ſunt Reginæ matris literæ ad eundem Principem de Regis & regni ſuſcipiẽda defenſione perſcriptæ? Quid igitur garris, rabula? quid latras, canis? Viuit ille mortuus, tu tuíque ſimiles viuentes eſtis mortui, niſi tu potiùs immortalis es, vt qui nũquam adhuc vixeris. *Condæo mortuo, auctores belli nefarii* (inquis) *allegari nõ poſſunt boni & innocentes Principes ſuperſtites, qui quũ in rebus ſuis priuatis aliena auctoritate egeant, auctores aliis eſſe nõ poſſunt.* Hìc verò Iuriſconſ. clariſſime, quis tã turpiter hallucinari te poſſe nõ miretur? Si bellum à Condæo cœptũ iuſtum fuit, ergo & iſtud quod nouũ nõ fuit, ſed illius tãtùm proſequutio, iuſtũ fuit. Etſi enim priuati cuiuſquã non eſt bellũ mouere, tamẽ ſtultus es ſi ex belli duce ac non ex re ipſa potiùs de belli cauſa iudicandũ putas. Bellũ autem illud iuſtũ fuiſſe, ſiue cauſam ſiue auctoritatem

tatem ſpectes, niſi fatearis, tũ regiũ ipſum mandatũ tũ illa tria pacis edicta velut falſa reiicias, vel vt iniqua dãnes oportet. Illud ſi facere coneris, mox cauſa cecideris: iſtud ſi dicere audeas, damnandus priùs fueris q̃ audiendus. Sin verò nefariũ initio illud bellũ fuit, ſcis purgari vitiũ poſtea nõ potuiſſe. Quorſum igitur ad ætatis excuſationẽ deuolueris? Deinde Reginã Nauarrenã filii ſui, proximíque Regi, ſi fratres excipias, agnati tutricem, ipsíque ſi vir fuiſſet, aciei præfuturã, túne pro nihilo habes? Quòd ſi Principes iſtos ſingulari Dei beneficio & Regis auctoritate gladiis carnificũ quos tu defendis ſeruatos, tã bonos eſſe arbitraris, q̃ ſanè ſunt, & tu illos, aſſentator, prædicas: cur nõ potiùs quàm viuos accuſes, & mortuis inſultes, tantã illis vim factã, tot vno penè momento illatas ipſis iniurias, tot interemptos ante ipſorum ora domeſticos, tot chariſſimorum amicorum, ac etiam propinquorum ſanguine cruentatas ipſorum nuptias deploras? cur non publicis malis, etiamſi nonnullos tibi iure cæſos concederem, ingemiſcis? *Nihil*, inquis, *cauſam premebat, nulla re alia laborabat quàm nimio otio, & pace luxuriabat Eccleſia.* Et quis hic rurſum ſtupor eſt? Papiſtarum dira conuicia, Sorboniſtarum voces tumultuoſas, & ſcripta diffamatoria,

(ſic enim diſertè ſcribis) Principum conſilij Regis aſſiduos clamores, & ad noſtrorũ internecionem comparata conſilia initio, illorum etiam nimirum conſcius, commemoraſti. Quódnam igitur, ſtultiſſime hominum, otium iſtud, quæ pax fuit qua luxuriaſſe nondum reſpirantes miſeras Eccleſias comminiſceris? Sed quid iſta commemoro? Ais, & id quidem venalis cauſidici fide, (quando enim tu in vllo Eccleſiaſtico cœtu niſi vel ad audiendum, vel fortè ad dicendam cauſam adfuiſti?) ais, inquam, te ſæpiſſime multa violenta conſilia impediuiſſe, quaſi videlicet Regem ipſum ex ſuo ſolio propter nonnullorum Magiſtratuum culpam deturbare Cauſarij vellent. Quid igitur iſtis multis Cauſariis afferebas? *leuiculas eſſe occaſiones, falſa multa interdum ſpargi.* Et te ne nunc quidem mẽtiri pudet? Leuiculæ'ne fuerunt Pariſienſes, Rhotomagenſes, Aurelianæ, aliæ denique innumeris penè locis ſeditiones factæ? non huc & illuc miſſi extra ordinem delecti quæſitores? an vllũ eſt edicti caput, de cuius interpretatione quærere non coegerit ipſorum Magiſtratuum iniuſtitia? nõ id vnum, vt tute ex Cauannio diſcere potuiſti, Thalaſſiarchũ ad hunc ſuũ vſque fatalẽ diẽ Lutetiæ retinuit, vt priuſquam à Rege diſcederet Eccleſiis ex edicto aduerſus ipſorum

iudicum

iudicum fraudes caueretur? non tu ipſe in priuato quod vocant Conſilio (quia quum non facilè inueniretur qui piorum cauſas agere vellet, ad te proditorem ibatur) de iſtis conqueſtus es, quanuis intus, vt nūc res oſtēdit, de iis rideres? nō quo ipſo momēto ille proditoriè vulneratus eſt, in manibus habebat ſupplicem cuiuſdam Eccleſiæ libellum? Sed audiamus quid amplius compeſcendis iſtis Cauſariis otio nimio laborantibus, ſuggereres. Marinum quēdam videlicet ſub Galieno, non quidem Chriſtianis iniquo, ſed alioqui perditiſſimo principe, ob Religionem Chriſtianam obtruncatum: quod exemplum vſque adeò tibi placuit vt etiam tibi repetēdum putaris. Item multa in Ambroſium Arcadio neſciente facta, quæ omnia eſſent via iuris corrigēda. Et quem tandem noſtrorum comperies aliam viam quàm iuris ingreſſum? Proferebas poſtea Reges ipſos interdum ſeruire populo, vt olim Ludouicus Pius Nicephorum patriarcham inuitus exulare iuſſerit, vt populum placaret cui ſine cæde reſiſtere non poterat. At tu videris vnde tandem hiſtoriam iſtam deprompſeris. Agè tamē, vt iſtud verum ſit, mirum profectò, Carpentari, non etiam laudari abs te Pilati exemplum, qui quum videret clamorē Iudæorū inualeſcere, Chriſtum illis inuitus,

nec tamen ſine expreſſa proteſtatione crucifigendum tradiderit. Téne igitur, Carolum nonum, Gallorum Regem, facere populi Pariſienſis ſeruum, & Caroli ſexti fortunam in Galliis renouare? Nec te pudet noſtram Religionem profiteri tam malè in ipſius rudimentis inſtitutum, vt nõdum didiceris nihil eſſe mali agendum quaſi bona inde eueniant? En præclarũ ſanè Theologum & egregium Chriſtianiſmi aduerſus Cauſarios defenſorem. Cæterùm depromis tandem aliquid inſtituto tuo accommodatum, aliunde tamen (à quodam, inquam, cuius nomini nunc parco) emendicatum, quo non tunc, vt tu fingis, cuiuſquam noſtrorum impetum qui nullus fuit compeſcere ſtuduiſti, ſed nunc demum excuſari vtcunque poſſe immanitatem illam furentis populi credidiſti, cuius etiam rei cauſa propriè ſuperiora omnia ſcripſiſti. Quid igitur affers? Seditionem crudeliſſimam in Iudæos ſub Cumano præfecto, leuiſſima de cauſa exortam. Cumanum igitur, & eius milites accuſa. Num verò leuiculum fuit tantum virum, quantus à multis ſeculis vix extitit, à Regis arce domum redeuntem, in medio Regalium nuptiarum apparatu, media luce, à latrone ad hoc ipſum comparato tranſfodi? & quid tum iſti quos Cauſarios appellas? num ad

arma

arma concurrerunt? num cuiquam ex iis quos cædis auctores eſſe liquebat vel leuiſſimam iniuriam intulerunt? num tanquam arma capturi (venerant enim ad nuptias inuitati, non ad bellum euocati) domum recurrerunt? an non biduo pòſt omnes inermes, in lectulis ſtrati, nihil minùs expectantes trucidati? num alio quàm Regis præſidio ſe cuſtodiri Thalaſſiarchus poſtulauit? Ecquis, quum ad eum obtruncandum irrumperetur, in armis eſt inuentus? omnes denique quid aliud quàm Regis fidem, edicta, leges implorarunt? Et tu præbitam aliquam vel leuiſſimam tantæ iſti populari ſeditioni occaſionem dicere audebis? Audaciſſimus ille Fimbria Syllanis temporibus, Sceuolæ homini ab omni virtute laudatiſſimo, à maximo vulnere quod ei intulerat recreato, diem auſus eſt dicere quòd totum telum ſuo corpore non recepiſſet. At tu ne hoc quidem poſſis de multis Cauſariorum millibus dicere, non vulneratis ſed ouium inſtar iugulatis, quorum vix vnum pugnãdo interfectum oſtendes. Iſta porrò quæ in veterem illam Eccleſiam, tótque ſanctiſſimorum martyrum millia ſub Tiberio, Caio, Traiano, Antonino, Maximino, Decio excarnificata (cur verò Neronem, Domitianum, & tot eius generis monſtra præ-

tereas tu videris) tu ſceleratus & impius euomis, quaſi Chriſtiani ſæuiſſimos illos Tyrannos vlla contumacia prouocarint, quis tandem ferre poſſit? an non tu potiùs dignus es quem ipſi, quos vocas, Papiſtæ ſuis illis cruentis manibus diſcerpant? Itaque, Carpentari, fœdiſſimi & maximè impii mendacii reus coram Deo & hominibus perageris, quum vt crudeliſſimos illos Chriſti perſequutores excuſes, innocentiſſimos illos homines tot iã ſeculis celebratos, ſeditioſos, & edictorum violatores appellas. Cyprianus perſequutionis illius ſæuiſſimæ à Decio excitatæ cauſam, aliqua ex parte, fateor, in diſſolutos multorum mores confert, qui tamen Chriſtianam Religionem profitebãtur. Sed quod edicta pro Chriſtianis facta dicis ab eis ſeditioſè violata, ideóque Tyrannum illum exacerbatum, id ego verò non minùs falſò abs te confictum dico, quàm hoc ipſum quod tu nunc de Cauſariis commi iſceris. Sed & hoc dico, te quoque corru ptarum tabularum crimine ſic teneri vt elabi non poſſis. Nec enim apud Cyprianum legitur, vt tu falſator citaſti, SEDITIONIS, ſed AEMVLATIONIS & diſſenſionis nomen quibus vocibus non illud quod tu falſiſſimè dicis ſignificatur, quaſi videlicet in Cæſaris edicta, vel publicam pacem fuerit à Chri

à Chriſtianis peccatũ, ſed inter ipſos Chriſtianos excitatæ in electionibus popularibus & recipiendis lapſis contentiones declarantur. Quod ſi ſimiliter ageres, id eſt ſi Gallicarũ Eccleſiarũ miniſtros ſequutus, quos tu immeritiſſimè culpas, in luxum & ambitionẽ quorundã, in verbi diuini contemptum, in ἀπύκτους denique inueheris, tum nemo eſſet qui non tecum affirmaret optimo iure Dominum ſuo populo grauiſſimè ſuccenſuiſſe, ideóque gloriam penè ſuam, vt olim quum Hieroſolyma incéderentur, in hoſtium ſuorum manus tradidiſſe. Sed hoc facere duo te prohibent, nempe quòd in teipſum ageres, deinde quòd ſi nũc eos qui te ad maledicendum conduxerunt, ſemel decepiſſes, prodito abs te Deo & decepto Satana, nullum ampliùs tibi refugiũ ſupereſſet. In iis porrò quę de Eccleſia Alexandrina temporibus Valentiniani vſque adeò afflicta, perinde etiam commemoras, ac ſi Chriſtianorum culpa, calamitas illa eueniſſet, adeò vt coacti fuerint à paganis Chriſtiani, idolis ſacrificare, eâdem fide vteris. Valentis enim ſcelere, cui, (non autem Valentiniano,) ſubiecta fuit Alexandria, cõſtat & priorem illã ſeditionem qua exactus eſt Athanaſius, in qua tamen non ſunt Chriſtiani ad paganorũ obeunda ſacra coacti, & poſteriorem ſub Petro or-

thodoxo & Lucio Ariano Epiſcopis grauiſſimam, conflatam fuiſſe. Quin etiam fortaſſe cum hac vtraque illam permiſces quę poſtea ſub antiſtite Theophilo, Theodoſio imperante euenit, nonnullo ſanè orthodoxorum zelo non ſatis conſiderato, cuius tamen exitus fœlix & proſper fuit. In his igitur rurſum tuam inſcitiam prodis, quam tamen tibi non adſcribo, ſed illi tuo, quem noſti, monitori cuius nomen nunc non edam. Quod vtinam quæ de Chriſtianis ad prophana ſacra coactis narras, tam parum quàm cætera noſtris temporibus conuenirent. Præterea aduentãtibus in aulã Rege Nauarræ & Condæo, iuſſos omnes fuiſſe teſtaris cum telo concionibus adeſſe. Cur verò iuberetur quod vetitum nunquam fuit? Quum enim conciones decem ab vrbe miliaribus haberẽtur, & in tota Gallia, exceptis paucisſimis locis, neceſſe eſſet ad audiẽdum Dei verbum, & ſacramentorũ percipiendorum, ac benedictionis nuptiarum cauſa, paſſuũ aliquot millia conficere, ehodum, bone vir, quis eò niſi penulatus & cũ gladio acceſsit, quod iure etiã veſtro viatoribus conceditur? Et quo tandem in loco eam ob rem tumultuatum à noſtris fuiſſe comperies? In Gainæ hiſtoria quum illã petere nos ex Ambroſio iam tũ mortuo iubes, pudendam inſcitiã tuam rurſum prodis,

prodis,ac multò etiam maiorem in eius ap plicatione improbitatem. Quod deinceps ſtuduiſſe Cauſarios dicis inimicitias inter Regem & eius fratrem ſerere, & tamen calumnias in Regem ſparſiſſe, quomodo inter ſe conciliabis? niſi fortè vel neutri parti, vel duci Andico potiùs quàm Regi fauebant. Et cur obſecro, tam amicum & beneuolum ſibi Regem, vt tu ipſe commemoras, Cauſarii vllo modo ſibi infenſum redderent? Contrà verò quid non modò in concionibus, ſed etiam editis libris in Regem euomuerint boni Catholici, an putas exteros ignorare, quibus vt iſtarum rerum imperitis imponere te poſſe mendaciſsimis iſtis calumniis ſperaſti? Atqui vel vnus Benedicti Pariſiẽſis Theologi libellus, te planè redarguit, noſtros abſoluit. Ais te à me repertum eſſe in aula ſummo honore & otio perfruentem. Honore te quidem illic nullo affectum, ſed noſtrorum præſertim quibus nunc conuiciaris culinas ſectantem vidi, cauſidice, & otio maiore quàm velles abundantẽ, fame etiam periturum, niſi agendis & prodendis noſtrorum cauſis qui te nondũ ſatis norãt, te ipſum ęgrè ſuſtentaſſes. Dialogiſmũ autem illum quem te comminiſceris cum miniſtris præſertim habuiſſe, quiſnam cui notus ſit Carpentarius, non irriſerit? Sed

memorabile illud eſt inter cætera, quòd te illis ſcilicet tua doctrina & cohortatione indigentibus ſuggeſſiſſe narras, Reges nimirum nõnunquam leuiſſima populi irriſione commotos, crudelitates quàm maximas exercuiſſe. At quos Reges? Antoninum illum fratricidam, Anaſtaſiũ tot piorum Epiſcoporum expulſorem, Herodem infanticidam, Veſpaſianum & Titum Iudæorum gentis exciſores, Traianam in eo certè minimè laudandum, quòd ſæuitiem in Chriſtianos exercuerit, Licinum denique Eccleſiæ hoſtem iuratum. O egregium Regiæ Maieſtatis defenſorem, qui quæ iſti immaniſſimi Tyranni patrarunt, à Rege quoque Carolo proficiſci poſſe cenſuerit! Et hoc non eſt id ipſum verè & manifeſtè facere quod tu in Cauſariis reprehendis? Obſecro enim, ſiquid tale noſtræ Religionis Miniſtris in concione excidiſſet, qualia te illis dixiſſe ſcribis, annon meritò Regiæ læſæ Maieſtatis rei cenſerentur? Sed hîc denique ad ſummam ſtultitiam cumulus acceſſit, quòd poſtquàm ſeditioſas miniſtrorum conciones, conuicia in Regem, in Reginam eius matrem, in eius fratrem & conſiliarios iactata, inita quæ tibi patuerint, fruſtráque impedire ſtudueris aduerſus ipſum Regis caput, conſilia, paginis aliquot intonaſti, tandem ignorari dicis quid

Cauſarij machinati ſint,quoRegis animus tam grauiter & ſubitò fuerit in illos incenſus. Ergo tu ipſe quid ſcriberes ignoraſti,cauſidice,& quoties aliquid iſtorum affirmaſti, (quis autem tibi vel iurato credat?) toties,ſi non mendacij,ſaltem leuitatis argueris. Sed quid tandem, lupe,ouiculis diſperſis faciendum cenſes? *vt*, inquis, *oratione & piis cogitationibus ſe ſuſtentent.* Et quid aliud illas facere arbitraris? *Imò*, inquis, *nolunt Regem ſuppliciter adire, ſed adhuc ſeſe, auctore Seba, ad bellum parant, quum pii illi homines, Quadratus, Ariſtides, Iuſtinus, Apollonius apologiis non gladiis egerint.* At tu de iſtis agere, Carpentari, debuiſti,non mecum,non cum hac pacatiſsima ciuitate,in qua nullum vnquam alium quàm verbi Dei ſtrictum gladium vidi, ſed cum turbulẽtis & ſeditioſis ſiquos noſti, quos tamen tam ſcio, quicquid garrias, hîc toleratum non iri, quàm te totum ex vanitate & proditione conflatum eſſe noui. De iſto àutem Seba, ſic accipe. Si vel hoc vnum flagitium admiſiſſes, quòd & hanc ciuitatem pietatis, virtutúmque omnium domicilium, & hunc hominem doctrina præſtantem, vita inculpatum, ac præſertim etiam de te bene meritum tot maledictis, & conuiciis proſcidiſti, dignus eſſes quem omnes docti & pij execrarẽtur.

Is verò tantum abeſt vt tuis iſtis conuiciis vel tantillum ſit commotus, vt liquidò teſtari poſſim potuiſſe ipſo minimè inuito totam hanc epiſtolæ tuæ partem quaſi reſponſione indignam prętermitti. Et tamen cogit me rei indignitas, paucis tibi ſigillatim ad hæc quoque reſpondere. Primùm quis hic furor eſt & quæ rabies, eam ciuitátem quæ te tuámque familiam tam honeſtè accepit: tuos indigniſſimos mores tam patienter tulit: in qua puram ſyncerámque Euangelij doctrinam audiuiſti, tot omnium virtutum exempla animaduertere potuiſti, nullum certè præter teipſum inimicum habuiſti: ciuitatem denique, ſiqua alia ſub cælo eſt, in qua, ſingulari toti mundo exemplo, ius ſeueriſſimè dicitur: ex qua tot illuſtria Deíque regno κατηρτισμένα organa extiterunt: tot exorti ſunt Chriſti martyres: tot bonis literis expoliti homines prodierunt: ciuitatem Antichriſto diuinitus oppoſitam, cælitus tot annos cõſeruatam vt aliquod pateret miſeris pro Religione exulibus perfugium, tu ingrate, perfide, impie, aὐdes vel nominare quin totus cohorreſcas? ignoras adhuc quod ex tot exemplis animaduertere te oportuit, hanc eſſe velut ſcopulum ad quem plerique tui ſimiles illidere confringíque ipſo iræ diuinæ æſtu

æſtu illos adigente conſueuerint? non meminiſti quàm pallenti ore, nemine te præter conſcientiam expauefactam pellente, hinc aufugeres, quaſi adhærefcentem ſcapulis carnificem haberes? an non cognouiſſe te iam oportet quid illi tuarum proditionum conſcio & adminiſtro Antonio Proſto, tibi paulò poſt ſcriptam hanc epiſtolam ad furcam (vt ipſemet vociferans dicebat) præeunti, contigerit? Aut hîc igitur tibi quoque furcifer, aut in vicinia ſimiliter voces iſtæ impuræ per iugulum redibunt, ne dubita: & vt miſer oberres, quò tandem peruenies vbi te iuſta Nemeſis ad iuſtiſſimas pœnas non abripiat, aut ipſe tibi carnifex fias? Hæc enim illa eſt, ne dubita, Iudæ illius proditoris ſimilibus conſtituta ac præfinito die ab eo ſpiritu perſoluenda merces, qui has tibi cogitationes ſuggeſſit, & hanc ipſam epiſtolam dictauit. Benedicam benedicentibus tibi, maledicam maledicentibus, inquit Dominus. Vbi igitur, infœlix, conſiſtes? Eſt ſcilicet Geneua Memphitis, eſt ſeditionum fodina, ac non potius iſta conueniunt illi latronum ſpeluncæ, ex qua nunc prodis, eorum quos prodidiſti ſanguine cruentatus. Hæc eſt ſcilicet nequitiæ ſchola, ac non potius illa cloaca, cuius ſpurcitiem ne Satan quidem ipſe fer-

re amplius poteſt. Eſt ſcilicet Geneua ſeditionum officina, cuius pacem & tranquillitatem vniuerſus mundus cogitur admirari. Hoc illud eſt conſpiratorum receptaculum, in cuius excidium omnes pietatis & virtutum hoſtes conſpirarunt. Hoc illud eſt littus auarum, cuius portus tot naufragos excepit, tot nudos texit, tot miſeros recreauit, quod te denique, vipera, ſinu ſuo tam benignè & liberaliter fouit. Sed tu ſanè crepabis, illa autem incolumis tuum virus iampridem expuit. De paſtore autem noſtro, cuius te nomen quantumlibet ad quiduis audendum proiectum ita exterruit vt illud edere auſus non fueris, Deo gratias ago quòd nihil proferre niſi tam impudenter confictum poſſis, vt vix refutatione indigeat. Fingis illum eſſe Aſmoneorum more pōtificem & regem. Adeóne verò te, rabula, parùm eſſe peritū iſtorum artificem, vt ſaltem aliquid non confingeres, quod veri ſpeciem præ ſe ferret? Regnum Geneuæ exterum hominem paraſſe, vbi homines ſcias ſuæ libertatis tam acres ſemper fuiſſe defenſores? túne verò regem eum appellabis, cuius nemo vicarius eſſe velit? Sed profectò ſum ſtultus qui hæc refellam. Veniamus ad Pontificatum. Papa igitur etiā euaſit ille, at quidem certè extra Geneuæ pomœria, vbi tute ſcis non

non nomen duntaxat, ſed totam illam poteſtatem ita eſſe exoſam, vt Papam & Satanam eodem loco habeant. Non habet ille collegas? non primus cenſuræ iudicium ſubit? non hoc vno differt à collegis quòd plus oneris ſuſtinet? Alternis ſcilicet hebdomadibus integris concionari, biduo ſingulis ſeptimanis in ſchola profiteri, dies totos ſtudendo, concionando, ſcribendo cōſumere, valetudinem vitámque adeò ipſam negligere, hoc eſt ſcilicet tyrannidem in Eccleſia ſibi vindicare. Cauponam quidem an oleum ſpirent quæ loquitur & ſcribit, nos quotidie experimur. Hac autem exprobratione quid abſurdius à quoquam fingi potuit, in ea præſertim vrbe, in qua ne in publicis quidem diuerſoriis, niſi petita à Magiſtratu venia, cibum capere liceat? Et quando tu, mendaciſſime, noſtri ordinis quenquam vidiſti curando ventri deditum? an non potiùs noſtra tenuitas, illud ipſum eſt quod te quum hîc eſſes vel maximè offendit? Sed fortaſſe qui domi modeſtiæ ſpecie non regnat, amplius aliquod imperiũ alibi exercet. Vorauit ergo Galliam inexplebilis iſte gurges, quam tu inquis illum ſibi nunc è faucibus ereptam lugere. Nec te tam putidi mendacij pudet? Fuit ille ſanè in Gallia, patria ſua, maximo cum vitæ diſcrimine ab iis vocatus, ab iis miſſus quos opor-

tuit. Nihil illic clàm dixit aut fecit. Oſtende cuius aurum, aut veſtem concupiuerit. Demonſtra illum vel ſui ipſius, vel rerum vllarum ſuarum, vel chariſſimi parentis, quamuis in vltimo vitæ exitu, vel patrimonii non tamen contemnendi, vllam prorſus rationem habuiſſe. Ait ſe paratum omnibus omnium à ſe dictorum & factorum rationem reddere. Si non placet vrbis iſtius tribunal in quo illum regnare confingis, nullum defugit non penitus ſuſpectum iudicem. Tu nõ procul hinc eſſe iam diceris, & quamuis ex veſtro iure actor forum rei ſequi teneatur, teſtatur ipſe fore vt vltro ſeſe cum bona ſui Magiſtratus venia vbiuis æquis conditionibus ſiſtat. Galliam porrò illum deuorare & tam exiguo ventriculo tantum bolum concocturum ſe ſperaſſe? & cui tandem iſtud, niſi tam ſtipiti quàm tu aſinus es perſuaſeris? *Miſit tamen*, ais, *in Galliam ſua decreta*. Per quos? *Per furioſos illos & turbulentos Miniſtros*. atqui nulli in Gallia miniſtri Eccleſiis obtruduntur, ſed vel reiiciendi vel accipiendi petentibus demum offeruntur. Et ſi tam iſti eſſent furioſi quàm tu illos eſſe, ſtulte, declamitas, an putas illos, acceptis præſertim à ſuo illo incendiario Papa, & terribili illa furia Geneuenſi mandatis, tandiu fuiſſe te cauſidicum καὶ ἀγορᾶς περίτριμμα toleraturos? Auſus eſt tamen iſte, ſi

tibi

tibi creditur, ipſius Regis caput petere: ſcilicet vt ſolium illud conſcenderet, aut eò ſubduceret quempiam cuius auctoritate poſtea ſuum illum pontificatum ſtabiliret. Quid amplius? *teterrimus eſt hoſtis Galliæ, gaudet ſanguine, Gallos libenter audit ſeſe mutuò trucidare, totam Galliam libenter vno ictu iugularet.* Bona verba, inepte cauſidice, velitne ille priùs ſuā cui inhiat Galliā perditā quàm occupatā? Quódnam verò iſtius efferati & immanis ingenii argumētū proferes? nū quòd bello primo ciuili interfuit? at tu illū tui ipſius oblitus dicis nunquam ſeipſum offerre periculis, & procul è terra Neptunum furentem ſpectare. quomodo igitur cum veritate conſenties qui à teipſo diſſides? Interfuit tamen illi bello ſanè quod illum incautum occupauit, & quicquid operæ iuſtè potuit libens Eccleſiis in extremum periculum adductis præſtitit. Hoc verò tempore, quódnam inter te & illum diſcrimen fuit, niſi hoc vnum, quòd tu Argentinæ cauſam hanc cum illis Tholoſanis quantum poteras promouebas, ille in caſtris periculum nullum defugiebat? Et ſanè ni hoc feciſſet, illum hodie vitæ pœniteret, nedum vt iſtius fideliter fortitérque præſtitæ ad extremum operæ excuſationem quærat. Inde verò ad nos reuerſo, quid tandem poſſis exprobrare, quin & re ipſa, & tot teſti-

bus quot hîc viuunt homines refellaris? *Præter Candidam*, inquis, *nullum numen eſſe putat*. Nempe digna fuit hæc rancida calumnia quam illi reponeres. Annos ab hinc triginta & amplius, ætate, multíſque dotibus animi & corporis florens, in academia Aureliana & Pariſienſi ſeſe poeticis aliquot luſibus exercuit, quos ipſe primus omniũ, & quamuis doctè, quod negare non potes, & fauente Minerua ſcriptos, verbo ac reipſa damnauit, patriæ, amicis, boníſque omnibus, vitæ denique ſuæ antepoſito Chriſti Eccleſiæ opprobrio. Et hæc illi audebis, inſane, obiicere, qui contrario prorſus inſtituto, à domo Dei, quam turpi infamíque vita conſpurcaſti, tandem in ipſam abominationis cloacam rurſum te miſerum immerſiſti? Quinetiam atheiſmum illi tribuis, qui dies & noctes, lingua, calamo, vitæque exemplo tot hominum millia veram pietatem vſque adeò ſolicitè, tantóque cum ſucceſſu tot iam annos docet? Laſciuorum autem poetarũ & Rabelæſi in primis lectionem, quo tãdem pudore audes illi, illi (inquam) obiicere, qui nõ ignores in hac noſtra ſchola crimini etiam duci, ſiquis libros iſtiuſmodi ſcurriles & impios vendat aut emat? Rabelæſum autem illum, vt audio, impuriſſimum ſcurram quis neſcit nominatim fuiſſe ipſius D. Caluini tum voce tum ſcri-

pto

pto palàm damnatũ? Hunc verò noſtrum ſcilicet odiſſe, ſicut tu dicis, incipiebat Cõdæus, quem non alio quàm patris nomine ad illũ vſque glorioſiſſimũ vitæ pro Christi nomine exitũ nũcupauit. Scilicet nunciata illius herois morte ſolus hic mœrentibus omnibus exultauit, ac non eſt potiùs ipſius luctus & lachrymarũ teſtis vniuerſa hæc Eccleſia, precibus etiã illo præeunte, ſolennibus, iram Dei Opt. Max. deprecata. Sed agè, quædam etiã grauiora audiamus. *Iſte*, inquis, *humani generis hoſtis, & Gallici ſtatus mutationẽ moliens, publicè decãtat & denuntiat, Reginã cum catulis ſuis (vt ipſe loquitur) tollendã, idque voce & ſcriptis imprimit omniũ animis & pectoribus.* Quid ſi verò Deũ hîc precer vt tuam iſtã maledicã linguã radicitus tandẽ extirpet, ſicut tui ſimilibus imprecatus eſt Dauid? Moliri iſtum Gallici regni mutationem! quibus id verò vectibus & ferramẽtis? *voce*, inquis, *& ſcriptis*. Quin ergo teſtes, quin ſcriptũ aliquod profers? Illã quidẽ vocẽ ei publicè præſertim excidiſſe cui tandem perſuaſeris, qui modeſtiſſimæ ciuitatis iſtius & leges & mores cognouerit? quem ex tot auditorum millibus teſtẽ citabis qui non contrarium prorſus teſtetur? non extant] editæ precum noſtrarũ pro Regibus, principibúſq; formulæ? illáſne dicere audebis noſtrũ Magiſtratum paſſurũ fuiſſe ſubuerti? non illũ de-

nique audimus quotidie Galliæ ſuis viribus ruentis miſerias deplorantem, peccata noſtrorum deteſtantē, Deum Opt. Max. maximo cū ardore precantē vt Regum ac principum omnium mētes ſancto ſuo Spiritu regat, flectat, moderetur, Satanæ & malorum omnium rabiem ac furorē coerceat, miſeros deniq; & calamitoſos omnes ſoletur? Quid plura? *edicta etiam* (inquis) *& decreta Thalmudica, Sybillina oracula, literas minarū plenas, per ſuos miniſtros ſpargit, quibus orbem terrarum inflammet.* Quando id verò? quibus? per quos? qua de re? *Cauit,* ais, *in ſuis decretis vt quiſquis ſeſe ſacramento Cauſæ alligare recuſat, anathema ſit.* Impudēs quæ tu mihi decreta narras? non extāt editi & euulgati Eccleſiaſtici noſtri canones? quæ nā in tota noſtra Eccleſiaſtica diſciplina vllius anathematis mētio? & eſt ne hic noſter iſtius diſciplinæ vel auctor vel ſcriptor? Sin Gallicarū Synodorū canonas intelligis, quid tandē in illis tale cōperies? & quorſum hæc, quæſo, ad noſtrū Paſtorē? nū ipſe Synodos vocauit, nū exceptis poſtremis duabus, Rupellana videlicet & Nemauſenſi, vllis interfuit? Num illas quibus interfuit ad arbitrium ſuum inflectere aut voluit, aut potuit? *Imò etiam,* inquis, *eò accurrit ipſe, ibi collectū illegitimū ex ſuis concionatoribus conuentum non de Religione, ſed de Cauſa habuit, illique cum omnium*

piorum

piorum dolore & offenſione præfuit.Hîc ergò paulisper conſiſte,Carpentari.Facta pace, quũ de inſtauratione omniũ Eccleſiarum, & quaſi rurſum iaciendis earũ fundamẽtis agerctur,viſum eſt Santonico cõuentui,ad quem tum ſpectabat,pro diſciplinæ Gallicarum Eccleſiarũ ratione,Synodi generalis locum & tempus edicere,hunc quoque Paſtorem noſtrũ à Geneuenſi magiſtratu poſtulare, cuius ſententiam Synodus multis Eccleſiaſticis de rebus intelligeret. Hoc quum eſſet Reginæ Nauarrenæ, Principibúſque adhuc Rupellæ verſantibus renuntiatum, idem & ipſi faciẽdum cenſuerunt. Itaque fratrum literis ad Magiſtratũ & noſtrum collegiũ ſcriptis, poſtulatur vt ipſe intereſſe velit. Ipſe, quod centum teſtibus probari poteſt,quantum potuit,reluctatus eſt, quum hoc ipſum inter cætera quod tu nunc facis,variis videlicet calumniis ſuam hãc obnoxiam profectionem fore, prædixiſſet.Sequutæ ſunt Principũ literæ vnà cũ nũtio ob hoc ipſum miſſo,quib⁹ hoc idem magna cõtentione petebatur,&hoc etiam diſertè ſignificabatur,cõſcio & cõſentiente Rege Synodum cogi, quibus permotus Senatus, profectionem noſtri Paſtoris decreuit.Is igitur non ſine multis magníſque periculis,pridie indictæ Synodi Rupellam appulit. Poſtridie ex præſentis Nauarreni Prĩcipis ac Proregis auctoritate & cõſẽſu,

coacta Synodo fratrum ex ſingulis Galliæ prouinciis de more delectorum, ſedētibus omnibus illis Principibus, & Rupellano præſente magiſtratu, rogatur noſter Paſtor vt futuræ Synodo nō tantùm intereſſe, ſed etiam præeſſe velit. Recuſat ipſe penè pertinaciter, vt quingētis minimùm teſtibus probari poteſt. Demōſtrat ſe quanuis Gallum, tamen veluti extraneū adeſſe, Gallici in Synodis moris, & multorum quæ ad id obeūdum munus requirerētur prorſus imperitum: accerſitū ſe veniſſe, non vt ſuffragium ferret, nedum vt cœtui præeſſet, ſed idcirco dūtaxat vt de quibus rogatus eſſet, quid ſibi videretur exponeret. Quid plura? cogitur tot tantorúmque virorū conſenſu & precibus, hoc onus in ſe, nō ſolus, ne neſcias, ſed adiunctis pari auctoritate aliis aſſeſſoribus duobus, recipere. Et quódnam hoc tantum imperiū eſſe putas, Carpētari? ordine pręſcripto proponere quibus de rebus agendum ſit: ſentētias ſingulorum qui ex ſingulis prouinciis delecti ſunt rogare: ſiquis alius ex iis ꝗ adſunt interloqui velit, audire: ad cauſæ ſtatū aberrantes reuocare: ex ſuffragiorū maiore numero, excipientibus omnia delectis ſcribis, quæ deciſa fuerunt concludere: oīa deniq; deſcripta poſtea in cœtu legēda, & à ſingulis examināda, ꝓbanda, exſcribēda curare. Hæc igitur libere & ſincerè, palàm, vidētibꝰ, audiētibúſq; omnibus

omnibus dicta, facta, ſcripta, recitata, ꝓbata fuiſſe ſi negas, teſtimoniũ dicãt qui ſũt adhuc Dei gratia, ſuperſtites, tũ Principes, tũ nobiles, tũ omniũ ordinũ homines. Etſi enim ego tũ Rupella abfui, nihil tamen narro quod ex idoneis teſtib⁹ nõ cognouerim. Siquid extra cauſam Religionis actũ eſt, ſiquis occultè cœtus habitus, ſiquid in actis mutatũ, ſiquod illic in paſtorem noſtrũ vel leuiſſimũ murmur extitit, niſi deniq; liberè omnes auditi, cunctáque pacatè, trãquillè, Chriſtianè, vt inter cõiunctiſſimos fratres oportuit, dicta factáq; ſunt, ſumma cũ omniũ etiã eorũ qui Religioni noſtræ aduerſantur cõmendatione, niſi cũ honeſtiſſimo teſtimonio ad nos paſtor noſter rediit, cauſa ceciderit, tu viceris. *Omnes tamẽ*, inquis, *Miniſtri Galliæ, qui à purioris Religionis partibus ſtabant, remotiſſimi à factione & Cauſa, reſtiterũt: & librũ doctrina & pietate plenũ apparauerat P. Ramus, quo docebat iſtum clanculũ & per impluuiũ in Gallias veniſſe, vt Thalmud illud Sabaudicũ nobis pro vera Religione obtruderet, & incendia & ſeditiones in Gallia diſſeminaret.* De P. Rami doctrina & pietate quid ſenſerit hæc Eccleſia, quũ illum humaniſſimè acciperet, eíq; docendi in hac ſchola poteſtatem faceret, nemini obſcurum eſſe poteſt: quanuis multa nobis in ipſius logicis totáq; docendi ratione diſplicerent. Et quum illũ Dominus ſit martyrio dignatus, chara ſanè eſt nobis illius hominis memoria.

Magnã tamen illi in Theologicis reb⁹ ſcientiã, nõ eſt ſanè quòd tribuas, quã etiã ipſe ſibi nunquã quod ſciã, arrogauit: neq; illum vnquã noſtrûm quiſquã de vllo Religionis vel diſciplinæ Eccleſiaſticæ capite à nõbis diſſidere audiuit. Scimus illũ poſtea, nõ à te nihil prorſus iſta curãte, niſi quãtum tua intererat Eccleſiã, quã aliis prodebas turbari, ſed ab vno & altero, quorum iam ſexies damnata & cõfoſſa deliria fuerant, faſcinatum, nõ modò in illius Synodi canonibus quibuſdã non acquieuiſſe, verùm etiã ſublata vetere diſciplina nouã quandã introducere voluiſſe: adeóq; (vt homo erat vehemens, & ad res nouãdas, quod ſine mortui beati martyris iniuria dictũ ſit, paulò procliuior ſemper eſt habitus) in ratione gubernationis Eccleſiaſticæ multa immutanda cenſuiſſe, nec per te & pauculos quoſdã ſtetiſſe quominus periculoſum ſchiſma inde exoriretur. Sed hoc omne iam tũ in cõuẽtu Prouinciali repreſſum, coërcitúmq; certis cõditionibus fuiſſe, de quib⁹ poſtea in generali Synodo Nemauſenſi decideretur, cur tu retices? Ad hanc Synodũ importuniſſimis, térq; repetitis Eccleſiarũ Gallicarũ poſtulationibus noſter Paſtor pertractus, nũ illi præfuit? nũ etiã in illa ſuffragiũ tulit? Ibi præſente Regij gubernatoris Occitani vicario, & Nemauſenſi magiſtratu, palàm cuiq; facta dicendi poteſtate, perlectũ, expenſum, diiudicatũ fuiſſe tã P. Rami libellũ, qui quominus

adeſſet longitudinem viæ prætexuit, tũ quicquid alij duo quidam iiſdẽ de rebus ad Synodũ miſerant, cur tu diſſimulas? Extãt omnia, Carpẽtari, in actis Synodicis perſcripta, ex q-bus de tua impudẽtia liqueat. Inde conſtabit in Rupellana & Nemauſenſi Synodo (excepta vnica Subſtãtiæ vocula) de nullo confeſſionis Gallicæ capite, motã vllam controuerſiam, & auditis qui de quibuſdam in Synodo Rupellana mutatis canonibus quærebantur, omnia pacatè trãquilléque fuiſſe cõſtituta: P. Rami quoq;, & illius vnius & alterius ſententiam, poſt lõgam, placidam, accuratam συζήτησιν cõmuni omnium cõſenſu fuiſſe repudiatam: quibuſdam denique fuiſſe mãdatum vt argumẽtorum & refutationum ſummas ſine vlla amarulentia perſcriptas, libello pro diſciplinæ Gallicarum Eccleſiarum defenſione ſcripto adiiciẽdas curarent, quod quàm diligenter & eruditè ſit ab iis factũ, ſuo tẽpore, ſi Dominus dederit, patefiet. De illa verò Subſtantiæ vocula, ſic res habet. Eam nonnulli & quidẽ perpauci, vt duram & ambiguam poſtulabãt ex confeſſione cõmuni & ſolẽni adminiſtrationis Cœnæ Domini formula expũgi, minimè id quidẽ quaſi de ipſius Chriſti in Cœna cõmunicatione ſpirituali & myſtica per fidẽ dubitarent, ſed quòd iis fauere videretur qui corporalẽ & ſubſtãtialem neſcio quam ſignorũ & rei coniunctionem & manducationem à Papiſtis in ſolo tranſſubſtan-

tiationis delirio diſſentiẽtes, mordicus tuentur. Viſum eſt autem Synodo nihil in illa cõfeſſione vel formula ſine offenſione multorũ mutari poſſe, ſed adiecta explicatione commoda in actis Synodicis expreſſa, vocem illam retinendam. Denique hac ipſa cõtrouerſia in Nemauſenſi Synodo renouata, & perlecto cuiuſdam ea de re libello ad Synodum itidem miſſo, & altero etiam audito qui de re ipſa ambigere nonnihil videbatur (nec enim plures duobus in illo frequẽtiſſimo cõuentu reperti ſunt qui de hoc cõtrouerſiam mouerent) aſſenſum eſt Rupellanæ Synodi decreto, adiecta tantùm cautione, ſic cẽſere Gallicas Eccleſias ſine vllo earum Eccleſiarũ præiudicio, quę iuſtis & peculiaribus de cauſis ab illo Subſtantiæ vocabulo ſibi abſtinẽdum iudicant, à quibus alioqui ne tantillum quidem in re ipſa aut vllo Religionis capite Gallicæ Eccleſiæ diſſideant. Hæc, inquam, ita dicta, facta ſcriptáque ſunt. Quóſnam tu igitur nobis purioris neſcio cuius Religionis ſectatores cõmemoras, quaſi vnquam de Religione inter ſe Gallicæ Eccleſiæ diſſenſerint? & vnde tãdem illa tyrãnica ſeu Sabaudica edicta? Suis ſcilicet de re militari edictis noſter, vt tu vocas, Seba, iubet Papiſtas omnes trucidari, Monachos & ſacrificulos (vt tu ipſe appellas) reddi inteſtabiles (mihi enim religio eſt, ô impure, obſcœnum tuum ſermonem vſurpare.) Quaſi verò nõ penè adhuc exaudiãtur

ipſius

ipſius in primo illo bello aduerſus militũ inſolentiã & ſæuitiam clamores:quaſi nõ poſſit idoneis teſtibus probari, ſua etiam illum pecunia nonnullos ex iis ipſis quos nominas tũ redemiſſe.Quid amplius? *Edixit in Synodi cõuentu ſecretiore, cõquiri ad belli neruos pecuniæ vim maximã quæ in ærarium Geneuẽſe & menſam nouiſſime in hos vſus inſtitutam cõferretur.* Quibus verò ille ediceret? num exhauſtis nobilibus? nũ vſque adeò inopi plebi, vt multos etiã greges præ egeſtate coacti ſint paſtores ſuis ipſorũ abſumptis omnibus facultatibus, relinquere? num eo ipſo tempore quo ingẽs illa Germanis equitibus perſoluẽda pecunia, (ampliùs videlicet quàm decies cẽtena coronatorum millia) ex Regis mãdato expreſsíſq; repetitis diplomatibus ſumma importunitate ab vnis religionem profitẽtibus exigebatur? Bellum autem iſtud quorſum, pace tam æquis conditionibus præter ſpem, beneficio beneuoli tum Regis impetrata? Ærarij porrò Geneuẽſis tenuitatẽ quis non nouit? & quam tu mihi menſam in hos vſus inſtitutã narras? num enim pecuniam ad vſum ſubiti belli cõparatam, cuiquam credi oportere, quiſquam ſanæ mẽtis cenſuiſſet? & ſi tantopere Paſtor noſter inſaniuiſſet vt iſta ediceret, quis eum non riſiſſet potiùs quàm ei obſequeretur? Denique nunquid etiam amplius? *Vbi Rex Nauarrenus*, inquis, *& Condæus Princeps, nuptiarum cauſa aduenerunt*, *ecce tibi literæ*

ab illo funeſto lacu, quibus ſignificatur tempus eſſe vt omnes ſeſe in vrbes cum armis recipiant, intra quarũ mœnia contra edictũ conciones habeãt. Itaque omnes ſtatim ex prætoris vel potiùs dictatoris edicto cũ telo adeſſe concionibus iubentur. De iſta telorum geſtatione, paulò antè diximus, qua nihil magis ridiculum fingi potuit. Sed ecce tamen aliud multò abſurdius. Conciones tum extra vrbiũ mœnia habitas fuiſſe cõſtat, ad quas ex remotiſſimis etiã locis venire neceſſe fuit. Dic igitur nobis, ſtolidiſſime cauſidice, quînã in ſuis vrbibus ex edicto adeſſe iſti potuerunt, qui domibus relictis in locum remotũ conuenirent? Deinde quid plebs pleraq; inermis, & diſperſum imbelle vulgus, etiãſi maximè voluiſſet, efficere potuit niſi à nobilib⁹ vicinis adiutũ? at omnes per id tempus ad nuptias, vt in ſumma pace, non vt ad bellũ, nihil minùs cogitãtes, quàm de nece cuiquam offerenda, vel aliunde recipienda, fuerant Principes illos ſequuti. Saltẽ igitur, Carpentari, deinceps, ſi tibi pergere in maledicẽdo decretũ eſt, paulò cautiùs artem mentiendi factitato. Sed quis tandem erit iſtorũ finis? Tu quidem deſines, quũ volet Dominus. Ego finem faciã, vbi tuæ ad ineundam tecum proditionis ſocietatem cohortationi paucis reſpondero. Dehiſcat mihi potiùs tellus, Carpẽtari, quàm tuam imiter perfidiam. Ego quadraginta ferè annos iam puram Religionem profiteor: exceſſi ex Italia vt in iſtã

Eccle-

Eccleſiam, quæ mihi inter alias iam pridem probabatur, me conferrē: veni huc: acceptus fui humaniſſimè, tractatus honorificè: habeo ſtipendia, ſi non tā ampla quàm tu habebas, ingrate, at ea quibus ego contentus ſum, nec ampliora quæro. Experior quotidie ſingularem erga me, meóſque humanitatem huius Reipub. quæ me ciuitate donauit. Obſtrinxi meam fidem iureiurando, &, quod caput eſt, alor diuino verbo, & ſacroſanctis Sacramentis perfruor. Hanc ego fortunā interpretor, felicem & beatum eſſe in terris. Illuſtriſſimæ Principi, Ferrarię Duciſſę, heræ meę, ad quā me reuocas, cui propter eius immortalia in me, meóſque beneficia, vitam & ſanguinem, & omnia quæ mihi chariſſima ſunt, fateor me debere, opera mea non eſt opus. Itaque neque illa me euocat, neque ego, affecta iam ætate, & infirma valetudine, deſerto meo munere in aperta pericula & latrocinia me coniiciam, neque Galliā attingam, niſi liceat ſalua Religione atque pietate. Quare nō eſt quòd mihi ſuadeas iſtam profectionem. Ego tibi cōtrà ſuadeo, vt poſthac abſtineas à mentione tātæ principis, niſi hoc agis, vt eā quoque grauiter lædas. Nam ea morum ſanctitate illa Princeps eſt, vt impuros, proditores, tranſfugas, officij ac muneris ſui deſertores, hypocritas denique, tuíque ſimiles maximè deteſtetur atque execretur. Quod tu verò, vt

eum facere par eſt, qui in Veritatis hoſtium conſilio ſedet (ſi modò tam illi ſtulti ſunt, vt te nihil aliud quàm venalem linguã afferentem aliquo numero & loco habeant) huic Reipubl. & Eccleſiæ excidium ſola Paſtoris illius noſtri cæde redimendum comminaris, vide quàm parum nos exterreat. Ille quidem iampridẽ teſtatur ſe non recuſare quin multis annumeretur ſocius, quorum mortẽ, quod ad ipſos attinet, beatiſſimam eſſe prædicat: nos verò tibi tuíque ſimilibus iſta duo cogitanda præbemus,

ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

Et, Mori quidem poſſunt, imò etiam volunt quum Deo libitum eſt Chriſtiani, vinci verò nunquam. Geneuæ, Cal. Martij, anno Domini CIↃ. IↃ. LXXIII.